


This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.


About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`


ANDOVER-HARVARD LIBRARY
AH 4YVY 1

780 Latin

יהוה



106 / 78

Hymni

Veterum Poetarum Christianorum

Ecclesiæ Latinæ

selecti.

Textum ad optim. Editt. fidem exhibuit, et præfatione, notis Variorum, adjectisqve præcipuis variantibus lectionibus illustravit

C. A. Björn

in ecclesia Vemmetofte sacrorum minister.

Hafniæ, MDCCCXVIII.

Typis excudebat Andreas Seidelin,

Aulæ Regiæ & Universitatis typographus.

C
mi
fu
ni
p
d
e
a
ca
m
p
J
u
q
b

Coetum Christianorum a primordiis habuisse, qvi carmina sacra condiderunt, res ipsa qvodammodo docet, fuit enim ab initio rerum humanarum poesis et religionis et pietatis interpres, nec aliter olim de Deo qvam poetice loqvi fas erat, non alio sermone dii oracula ediderunt, non alio stylo divina promserunt homines, eundemque ad inculcanda sapientiæ præcepta antiqvissimi adhibuerunt: nulla fere unqvam exstitit gens, qvæ non carminibus sacra sua celebravit, coluerunt fictitia numina decantatis ad aras eorum hymnis gentiles, omnipotentis Jehovæ beneficia et virtutes metrice celebrarunt Judæi, idemque jam dudum usu venisse apud Christianos, ut Christum imitati sint apostoli ὑμνήσαντες, apostolos ψάλλοντες Christiani et privatim invicem, et in solennibus sacris, diserte novi Testamenti codicis effata testan-

tur; adhorlatur enim Jacobus*) ευθυμει τις, ψαλλετω; monet Paulus apostolus Colossenses: **) ὁ λογος τȣ χριϛȣ ενοικειτω εν ὑμιν πλȣσιως, εν παση σοφια, διδασκοντες και νȣθετȣντες ἑαυτȣς ψαλμοις και ῳδαις πνευματικαις, εν χαριτι ᾁδοντες εν τη καρδια ὑμων τω Κυριω; Corinthios ***) ὁταν συνερχησθε, ἑκαϛος ὑμων ψαλμον εχει, qvod carmen antea jam contignatum innuere videtur †); Ephesios ††) πληρȣσθε εν πνευματι, λαλȣντες ἑαυτοις ψαλμοις, και ὑμνοις και ωδαις πνευματικαις, unde vel hoc intelligitur, non insolitum Christianis fuisse ex tempore carmen dicere †††), et nonnihil argumenti ad rem nostram probandam hisce sacræ Scripturæ dictis afferunt cum verba Tertulliani *): "Sonant inter duos (conjuges scilicet) Psalmi et hymni, et mutuo provocant, qvis melius Deo suo cantet. Ut qvisque de scripturis sanctis vel de proprio ingenio potest, provocatur in medium Deo canere" **) tum Augustini ***): Christo cor nostrum, illi lingva nostra digna cantet, si tamen ipse dignabitur donare, qvod cantet. Nemo illi cantet digna nisi qui ab illo acceperit, qvod cantari possit.

Poeseos Christianæ documentum porro capere licet e testimonis Plinii, Origenis atque Eusebii, nec non ex

*) Cap. 5 v. 13.

**) Cap. 3 v. 16.

***) 1 Corinth 14, 26.

†) Conf. Celebrr. Münter ueber die älteste christliche Poesie in libr. qvi inscribitur. Die Offenbarung Johannis, Copenhag. 1806. pag. 23.

††) Cap. 5 v. 19.

†††) Münter l. cit.

*) In libro ad uxorem.

**) Tertull. Apologet c. 39.

***) Enarratio in c. 34.

indole argumentoque plurium oraculorum Sibyllinorum: primus enim inter provinciarum Rectores celeberrimus, motus martyrum multitudine imperatori Trajano præter alia indicavit *) se deprehendisse nihil a Christianis adversus leges actitari; nisi, qvod essent "soliti stato die ante lucem convenire, carmenque Christo qvasi Deo dicere secum invicem, "qvod Tertullianus in Apologetico ex Plinio allegat, ut et Eusebius **). Fuere qvidem, qvi suspicati sunt, per carmen hic non sigillatim metricum qvid intelligi debere, sed de qvacunque præscriptis verbis concepta precatione exponi posse, at nulla idonea videtur adesse causa, cur a prima et præcipua hujus vocis significatione, qva qvod ligatum est, et mensuram certam habet, ac numeros denotat, ideoque ad rem potissimum spectat poëticam, sit recedendum; neque obstat verbum dicere, siqvidem et hoc de poetis, eorumque arte, nonnunqvam usurpatur, sic ab Horatio (Art. poetic. v. 403) dictæ per carmina sortes numerantur. Origenes eandem rem memorat inqviens ***) Κελσος μην ουν φησι, μαλλον δοκειν ὑμας σεβειν τον μεγαν θεον, αν και Ηλιον και Αθηνην υμνωμεν. ἡμεις δε το εναντιον ισμεν, ὑμνους γαρ εις μονον τον επι πασι λεγομεν θεον και τον μονογενη αυτε, ως και ἡλιος, και σεληνη και αςρα, και πασα ἡ ερανια ςρατια, et inprimis verba Eusebii †) afferri merentur: τα Ειρεναις και τε Μελιτωνος και των λοιπων τις αγνοει βιβλια, θεον και ανθρωπον καταγγελλοντα, τον χριςον. ψαλμοι δε ὁσοι και ωδαι αδελφων απαρχης ὑπο πιςων γραφεισαι,

*) Epistolar. Libr. X. 97.

**) Histor. eccles. III, c. 33.

***) Contra Celsium Libr. 8. c. 67.

†) Histor eccles. 5. 28.

τον λογον τȣ θεȣ, τον χριςον ὑμνȣσι θεολογȣντες απ' αρχης igitur, ut e probatis Valesius*) emendat codicibus, scilicet Christianismi, fuere non modo, qvi alienis tantum carminibus sacris usi sunt, sed et qvi a se etiam scripta sive composita communi usui consecrarunt; et qvantum roboris lucisque hæc, qvæ ex hisce Veterum effatis eliciuntur, per Sibyllina accipere docet B. Thorlacius **), multis enim in locis horum oraculorum, qvorum longe maxima pars Ao. 100 ad 170 post Christum nat. exarata habetur, hymnos agnoscere sibi videtur Vir Celebrr., et "qvam freqventer, inqvit, fuerint ejusmodi cantica sacra inter Christianos inde concludi potest, qvod Deus ὑμνων ἡγητωρ appellatur. Duo carmina, qvæ de λογω agunt, sacrum prorsus tenorem spirant, uuum, majestate poetica eximium, dramatici qvid intermixtum habet, qvod in Plinianum: sibi dicunt invicem, egregie cadit, Logique laudes cum Dei laudibus conjungit, alterum jam suo initio ἀγεννητος, ἀχραντος, ἀενναος, ἀϊδιοσςε, epithetis Orphicorum et Callimacheorum more accumulatis hymnum prodit, et inserto Dei colloqvio animatur".

Perpaucos tamen ex tribus prioribus seculis invenimus sacros poetas, non qvod ab omni studio poetico omnino abhorruerunt Christiani, vel ad literas elegantiores rite tractanda inepti, ut nonulli putarunt, plane fuerint. Apologetæ enim convertendo in usus suos loca e poetis profanis depromta satis in eorundem scriptis præbent se

*) Annotatt. ad Eusebii histor. eccles. p. m. 110.

**) In Disqvisitione, quæ inscribitur Libri Sibyllistarum veteris ecclesiæ crisi, qvatenus monumenta christiana sunt, subjecti. Havniæ 1815.

versatos fuisse, et cum hæretici dogmata sua canticis accommodarunt, qvo facilius imperitorum animos ad suam perducerent sententiam, necessitate compulsi sunt ecclessiæ primitivæ orthodoxi, ut ipsi cantica canticis opponerent: pleraque vero auctorum nomina proinde ut eorum poetica scripta tam græca qvam latina injuria temporum perierunt; nec mirum, non semper enim licitum fuit antiqvissimis sacris poetis, si vel voluissent, foetus ingenii sui edere, sive publice recitare, et cum aliis libere communicare, inimicorum incidia, sævitia hostium infensissimorum, diræ persecutionis metus, imminens periculum, et his similia, multo magis sane eos svaderent, ut et nomina sua tacerent, et scripta celarent: hinc ipsi "celantes", qvod diserte Hieronymus ait *) "scripta sua", effecerunt, ut ea non prodirent in publicum; adeoque paucis modo innotescerent, qvod conservationem eorum impedire, interitum autem promovere potuit. Accedit nefandum odium, ira, rabies profani vulgi, qvi non modo in personas Christianorum, sed res laboresque eorum qvoque sæviens, olim per vim sanctorum hominum manibus qvæcunque pietatem redolentia scripta extorqvere conatus est, et apostatis, non recusantibus ipsum sacrum codicem, qvo in ignem conjiceretur, tradere, certe multo minus curæ fuit de reliqvis Christianorum scriptis, ut a furore hostium, hæc abolere conantium, tuta præstarentur.

Nonnulla interim antiqvissimæ poeseos christianæ monnmenta latina, de qvibus hic agitur, supersunt par-

*) Teste J. H. a Selden in Dissertat. De poesi christiana non a tertio sed a primo etiam ac secundo post C. N. seculo deducenda; Lubecæ 1754 §. 10.

tim Tertulliano partim Cypriano temere adscripta, de qvorum vero auctoribus nil certi definiri potest: inter hæc Carmen de Judicio Domini 400 versibus hexametris haud inconditum, in qvo evidens exhibetur imago eorum, qvæ bonis in judicio extremo exspectanda, et pravis metuenda sunt. Ad Senatorem apostotam aliud 85 ineptis numeris hexametris constans, cujus argumentum est adhortatio ad senatorem Carthaginensem, qvi a religione christiana ad cultum Isidis, et cælestis Syrorum reginæ Astarte, qvæ Carthagine nomine Deæ cælestis colebatur, defecerat, ut recipisceret. Contra Marcionem Libri qvinqve, Imus 242, IIdus 269, IIItius 302, IVtus 236, et Vtus 253 Vers. hexametr. qvi nomen Tertulliani præcipue hac de causa præ se ferre solent, qvod satis notum erat, hunc olim contra Marcionem disputavisse. Opus antiqvioris ævi esse videtur, et ante Concilium Chalcedonense contextum, siqvidem posthac divinæ et humanæ Jesu Christi conjunctionem hisce verbis:

Et Deus et renovatus homo miscetur in unum

orthodoxus poeta vix ac ne vix qvidem exprimere ausus fuisset. Poemata, qvæ inscribuntur Genesis, et Sodoma, hoc 165, illud totidem Vers. hexam. nonnulla historica e libro Geneseos continent; prius mutilum est.

Missis his incertis de certioribus ecclesiæ latinæ poetis, eorumque scriptis, priorum qvinqve seculorum pauxillula memorare liceat: circa annum fere 290 post Christum natum floruit Victorinus Petavionensis, qvi habetur auctor hymni In Pascha Domini seu de ligno vitæ, cujus argumentum est allegorica crucis Servatoris comparatio cum ligno vitæ Vers. 69 hexametr. Spurium

*) Conf. Münter l. c. §. 8. pag. 42.

poema esse Oelrichs *) qvidem arbitratur, nihil attamen, qvod antiqvitati christianæ repugnaret, continet.

Sub Constantino Magno vixit Presbyter Hispanus Juvencus, qvi historiam evangelicam libris IV Vers. hexametr. exprimere conatus est, et opus suum, ut Prosper annotavit, circa annum Christi 331 edidit **).

Fabius Marius Victorinus, natione Afer, sub Constantio principe circa annum 350 Romæ Rhetoricam docuit, et in senectute, ut nonnulli referunt, christianam disciplinam amplexus est: ejus sunt hymni 3 de Trinitate, ametri et anarythmi, Carmen de Jesu Christo Deo et homine ***) Vers. 137 hexametr. Poema vero de septem Maccabæis, nostro qvoque adscriptum, Hilario potius Arelatensi tribuendum est.

Damasus, natione Hispanus, natus haud ignobili genere paulo post seculi 4ti initium, et post multas turbas ab Ursicino seu Ursino excitatas Pontifex Romanus, cum enim Liberio mortuo 366 de episcopo eligendo ageretur, alia factio Damasum, alia Ursicinum Diaconum ecclesiæ præficiebat, qvæ dissensio atrox bellum cædesque multas, incendia et proelia pariebat, victor ex concertatione discessit Damasus. Cum ille esset antistes, Cæsar Valentinianus hoc interposuit decretum, ut epis-

*) Conf. J. G. A. Oelrichs Commentar. de scriptoribus eccles. latinæ prior. VI. seculor. Lipsiæ 1791.

**) Ed. Erb. Reusch, Francof. 1710, 8. Legitur etiam cum reliqvorum hujus generis scriptorum operibus in Georg. Fabricii poetis veteribus ecclesiasticis. Basileæ 1564, 4.

***) Primum a Georg. Fabricio, qvi ex codice Ms. antiqvissimo se illud descripsisse testatur, editum est hoc carmen Anno 1562, et postea cum ceteris hujus et supra laudati Victorini scriptis a Rivino, Gothæ 1652, 8.

copus Romanus alios episcopos judicandi et controversias sacras componendi haberet potestatem, in qvam attamen totus Christianorum coetus redigi non potuit. Hæreses Arianas, item errores Apollinaris et Macedonii acerrime Damasus extingvere conatus est in Synodis soepius Romæ habitis episcoporum, qvorum remotiores ille primus suos vicarios constituit. Senex octogenarius e vita decessit Ao. 384 vel 386. Sanctorum Petri et Pauli mensam et altare multorumque martyrum sepulchra versibus ornavit, in qvibus componendis teste Hieronymo elegans habuit ingenium. Multa et qvidem poetica scripsit, exstant enim sub ejus nomine epitaphia, inscriptiones, elogia aliaque carmina ultra qvadraginta non magni momenti, estque incertum, an omnium credendus auctor Damasus. Hymni duo de Andrea apostolo et Agatha virgine, Jambicis qvaternariis prior, Dactylicis versibus posterior, canuntur in ecclesia. Carmen de Paulo apostolo Vers. hexametr. 26; de Agnete martyre duo, prius 19, posterius 12, de Felice, 6; de nomine Jesu duo, unumqvodque 5, de Christo, 21; de Ascensione Christi, 4; de cognomentis Salvatoris 7 e. s. p. *).

Ambrosius, episcopus Mediolanensis, natus est in Galliis, ut nonnulli volunt anno Christi 333, vel ut alii, et forsan rectius, contendunt 340. defuncto patre Ambrosio qvi Galliarum fuerat præfectus, noster se Romam cum matre contulit, ubi liberalibus disciplinis operam dedit, et cum orandis in foro causis animum adjecisset, tantum præ se tulit ingenii eloqventiæ et gravitatis, ut a Probo, tunc præfecto prætorii, ad con-

*). Damasi Carmina sacra ed. Andr. Rivinus. Lipsiæ 1652, 8. Opp. Damasi A. M. Merenda, Romæ 1754, Fol.

silium tribuendum eligeretur. Post hæc consularitatis suscepit insignia, ut regeret Liguriam Æmiliamque provincias, venitque Mediolanum. Hinc animos populorum tantopere sibi devinxit comitate et mansvetudine, ut, extincto Auxentio (perfido illo Arriano, qvi sedem occuparat Mediolanensem, unde ejectus et in exsilium amandatus erat sanctus Dionysius) in ejus locum ipsemet suffectus fuerit, nihil non tentans, teste Paulino, ut huic oneri subduceret humeros, verum ubi Valentiniani Cæsaris allatæ sunt litteræ morem gerere coactus fuit divinæ voluntati, qvam post tot indicia in dubium revocare jam non poterat, baptizatus itaque, uti voluit, a catholico episcopo, fertur omnia ecclesiastica officia implesse, atque octavo die episcopus ordinatus est. Fuit, ut anonymus auctor, qvi græce vitam ejus conscripsit, testatur, in ecclesia orthodoxis dogmatis fulgens, æmulator veritatis et propugnator, qvi cum super fundamentum Apostolorum et prophetarum ædificasset nec non rectæ doctrinæ ac disciplinæ verba exposuisset, fugata qvalibet hæresi ab Ario et Apollinario recens invecta, et ecclesia sua in omnibus optime instituta senex tandem diem obiit supremum anno Christi 397 vel 398, Hunc virum, inter scriptores ecclesiasticos clarissimum præter alia opera eximia, qvæ in manibus sunt, hymnos qvoque svavissimos ecclesiæ occidentali decantandos elucubrasse, satis constat; cum vero multi sub ejus nomine promulgati sint, qvos Ambrosii non esse nemo non agnoscit. difficultatis cardo in hoc vertitur, ut hymni vere Ambrosiani seponantur ab alienis, qvam ob rem optimum visum est Monachis Ordin. S. Bened. e Congregat. S. Mauri. qvi opera Ambrosii denno excudi cu-

rerunt*), ut pro Ambrosiano nullum admitterent, qvi locupletis alicujus testis auctoritate non adseratur; duodecim tantummodo idcirco promulgarunt, rescissis aliis, qvos priores editores perperam receperunt**), sed et hos duodocim Ambrosii esse Oelrichs certo affirmare dubitat; decem ex illis hic exhibentur, omisso sexto, utpote hymni potius fragmento, et duodecimo, siqvidem materia et forma Ambrosio parum digno.

Aurelius Prudentius Clemens, Christianorum poetarum princeps, in Hispaniis ortus est Coss. Salia et Philippo, anno Christi 348, ut ipse innuit Præfat. in Cathem. v. 74.

Oblitum veteris me Saliæ consulis arguens
Sub qvo prima dies mihi —

qvonam autem peculiari in loco prodierit in lucem, controvertitur, neqve potest certi qvidqvam definiri***).

*) S. Ambrosii Mediolanensis episcopi opera ad manuscriptos Codices Vaticanos, Gallicanos, Belgicos etc. nec non ad editiones veteres emendata studio et labore monachorum Ordinis s. Benedicti e Congregatione s. Mauri. Parisiis 1690. 7 Vol. Fol.

**) Gillotius, qvi primus hymnos Ambrosii collectos evulgavit, 16 exhibuit, qvorum numerum additis 18 aliis Romani editores adauxere, quem nova accessione amplificarunt alii.

***) Cæsaraugustanus creditur fuisse, non modo qvod Peristeph. Hymn. 4. Cæsaraugustam Suam appellat, idem enim de Tarracone Hymn. 6, 5 143 et Calagurri Hymn. 1, 116, 4, 21 profert, verum illud insuper, qvod Vincentium Martyrem certo certius Cæsaraugustanum, Sagunti vel Valentiæ passum sibi peculiariter vindicat, de eo Hymn. 4 v. 97 loqvens:

Noster est, qvamvis procul hinc in urbe
Passus ignota.

Expleto literarum dicendique ludo ad forum sese adplicuit Prudentius, militiæ qvoque togatæ seu Palatinæ operam dedit, qvem vero illi in Palatio gradum hæc dignitas tribuerit, et qvanto tempore apud Principem fuerit commoratus, ignoratur: verosimilius fortasse est, secuta Theodosii Magni, qvi illum acciverat, morte hac usum occasione, Imperatoris aula relicta, se in patriam recepisse, et venam suam pietati ac religioni sacrasse; qvo anno obierit, incertum est. Scripta ejus Gennadius, presbyter Massiliensis, qvi 70 circiter annos post Prudentii mortem floruit, recenset, composuit, inqvit in Catalogo de Scriptoribus ecclesiasticis Cap. 23tio, "Diptycon" *) de toto veteri et novo Testamento, personis exceptis; commentatus autem est in morem Græcorum Hexaemeron de mundi fabrica usque ad conditionem primi hominis et prævaricationem ejus: composuit et libellos, qvos græca appellatione prætitulavit, Apotheosis, Psycomachia, Hamartigenia, id est de Divinitate, de Compugnantia animi, de Origine peccatorum. Fecit et in laudem Martyrum sub aliqvorum nominibus Invitatorium ad martyrium librum unum et Hymnorum alterum speciali tamen intentione adversus Symmachum,

qvod ea confirmat versus 101mus

Noster, et nostra puer in palæstra —

accedit etiam, qvod redux poeta in patriam hymno Hippolyto Martyri Peristephanon XImo episcopum suum Valerium seu Valerianum nomine compellat, eiqve præfatum hymnum inscribit: hic autem Valerius haud certe alius videtur esse, qvam Valerius Cæsaraugustanus episcopus, qvi anno 581 interfuit Consilio Cæsaraugustano contra Priscilianistas hæreticos in Hispaniis pullulantes.

*) Διπτυχον hoc est duplicatus libellus, a πτυσσω, complico, qvod utriusqve Testamenti summam tenet.

idololatriam defendentem, ex qvorum lectione agnoscitur Palatinum militem fuisse: "qvæ scripta collata cum iis, qvæ edita lucem adspexerunt, scilicet hymni, 12 καθημερινῶν cum præfatione, 14 περὶ στεφάνων cum præfatione, ἀποθέωσις versus hexametri 1085 cum duplici præfatione, ἁμαρτιγένεια Vers. hexam. 966 cum præfatione, ψυχομαχία Vers. hexam. 917 cum præfatione, contra Symmachum libri duo cum suis præfationibus, primus constat Vers. hexam. 658, alter 1131: Διπτυχον seu Ενχειρίδιον utriusque Testamenti, constans strophis 48, qvarum unaqvæq 4 Hexametr. absolvitur, indicant, nihil aliud, qvam Commentatorium in Hexaemeron injuria temporum perditum, deesse, nam illud Invitatorium ad martyrium clare patet pro libro περὶ στεφάνων accipiendum esse„ alterum vero hymnorum librum a Gennadio memoratum, qvis dubitet esse librum Cathemerinon hymnorum 12 cum Præfat. Ceterum omnes istæ lucubrationes a Prudentio conditæ sunt, cum ad exitum jam vergeret vita ipsius*).

Hilarius, monachus Lirinensis, deinde episcopus Arelatensis, claruit sub Theodosio juniore, interfuit Concilio Regensi seu Regiensi Anno 439, et Arausicano 1mo Anno 441, mortuus est Valentiniano et Martiano regnantibus anno decimo Leonis 1mi Papæ, hoc est

*) Conf. Aurelii Prudentii Clementis V. Cl. opera omnia nunc prinum cum codd. Vaticanis collata, præfatione variantibus lectionibus, notis ac rerum verborumque indice locupletissimo aucta et illustrata. Parmæ 1788, 2 Vol. 4. Editt. carminum meliores præterea sunt: Jo. Weitzii, Hannov. 1818, 8; Nicol. Heinsii. Amst. 1667, 12; et Cellarii 1703.

Christi 446. Hæc..Leyserus*). Ex scriptis hujus antistitis poeticis supersunt: Carmen de Geneseos historia usque ad diluvium minus svave Vers. 198 hexametr. ad Leonem Papam de Providentia, qvod reperitur in opp. Prosperi, et aliud heroicum de fratribus Maccabæis, qvod sub nomine Victorini circumferri solet. Carmen de fonte qvodam ardente deperditum est**).

Pontius Meropius ex senatoribus tum paterno tum materno genere Romanis Burdegalæ in Aqvitania Anno Christi 353 patre Paulino natus est; sub Decio Ausonio rhetoricis simul atque poeticis disciplinis institutus fuit; Consulis honorem licet non ordinarii assecutus est anno ætatis 22, et cum amplissimis ditaretur tum possessionibus cum pecuniis, has opes insigniter auxit ducendo locupletem uxorem Therasiam, cujus aliorumque exhortationibus ad Christum conversus est anno ætatis 36, baptismo suscepto cum conjuge in Hispaniam secessit, ubi 4 annos commoratus est, defuncto interim filio Paulinus venditis prædiis ac ingentibus pecuniarum summis in pauperes erogatis monasticam vitam amplexus est, et presbyter, licet invitus, ordinatus ex Hispania in Italiam venit, et Florentiæ peramanter ab Ambrosio, non vero itidem Romæ a Siricio Papa et qvibusdam Clericis exceptus est, qvam ob rem Nolam se recepit, ubi cum conjuge constitit, ætatis anno 56 Nolæ episcopus creatus est, et senex obiit diem supremum Anno Christi 431, ætatis 78. Insignem inter scriptores ecclesiasticos tenet

*) Polycarpi Leyseri historia poetarum et poematum medii ævi decem post a nato Christo CCCC. Seculorum. Halæ Magdeb. 1721, 8.

**) Conf. Oelrichs.

locum Paulinus, tametsi in eo celebrando paullo liberaliores Hieronymus et supra laudatus Ausonius præceptor ipsius sine dubio fuerunt: ex scriptis ejus poeticis ad nos pervenerunt ad Gestidium poemata duo, matutinæ precationes duæ, prior 19, posterior 85 Vers. hexametr., de Ioanne Baptista carmen 330; Psalmus 1mus Jambic. senar. 51, IIdus hexametr. 32, 136tus 71, epistolæ ad Ausonium IV, prima, cujus argumentum est: studiis sacris profana posthabenda, Vers. Jambic. senar. condita, IIda de defensione Paulini propter religionem susceptam 332, et IIItia de constantia in amore 47 Vers. hexametr. IVta 20 Vers. elegiac; ad Cytherium alia epistola de Martiniani periculis et liberatione, et de institutione Cytherii filii 936. Jambic. senar., Epithalamium in Iulianum et Jam, de Celsi filii obitu panegyricus, de morte, de resurrectione, de præmio et poenis vitæ æternæ 628 Vers. elegiac. S. Felicis Natales XIV. Vers. hexametr *).

Medio Seculo qvinto floruit Cælius Sedulius post Augustinum, cujus de Civitate Dei postremum librum Collectaneo in Ephes. Cap. 4 adlegat, ante vero Fortunatum ut Cassiodorum, qvi ipsum tanqvam priorem laudaverunt. Patria fuit Britannia, et Scotum qvidem dicunt plurimi. Usserius ex libro de Britannicarum ecclesiarum primordiis Cap. 16 ita disserit". De patria

*) Pontii Meropii Paulini Nolani episcopi opera digesta in II. Tomos collata ad Mss. Codd. plurimos, notis ac lectionibus variantibus illustrata cura et studio Joannis Baptistæ le Brun, Parisiis 1685, 4. Pont. Merop. Paulini Senatoris et Consulis Romani deinde Nolani episcopi opera ad Mss. Codices Gallicanos, Italicos etc. recognovit L. A. Muratorius, Veronæ. 1736. Fol.

sua Sedulius dubitare nos non sinit, qvam in epostolarum suarum exordio, ut ex Trithemio, intelleximus, Sedulium Scotigenam se nuncupet ipse, ejusdemque in epistolas Paulinas adnotationes, ex Fuldensi vetustatis adorandæ exemplari editæ hanc inscriptionem præferant. Sedulii Scoti Hiberniensis in omnes epistolas Pauli Collectaneum": atque ita etiam Basiliensi editione utraque, et in Bibliotheca Patrum, tam Coloniæ olim, qvam postremo Lugduni expressum. Exstat hujus Presbyteri carmen paschale seu libri V de Christi miraculis Vers. hexametr., hymni duo, Collatio Vet. et Nov. Testamenti seu exhortatorium ad fideles, et acrostichis vitam Christi continens, Jambic. 92 hic, ille 110 Vers. elegiac. scriptus. Addidit his Edmundus Martene *) carmen de verbi incarnatione. Cæterum plures exstare foetus ingenii Sedulii nemo non exoptaverit, cum haud immerito Sedulium antiqvitati Christianæ in deliciis fuisse omnes concedant. Dictio ejus facilis, ingeniosa, numerosa, perspicua, sic satis munda, si excipias prosodica qvædam delicta **).

Eodem fere tempore vixit Claudius Marius Victor, Rhetor Massiliensis, qvi in Genesim ad filium suum Ætherium commentatus est, a principio libri scilicet usque ad obitum patriarchæ Abrahæ tres diversos libros, primum cum præfatione 649, IIdum 458, IIItium 742 Vers. hexametr. edidit, christiano qvidem et pio sensu,

*) In Collectione Vet. Scriptor. Vol. IX. pag. 127.

**) Cælii Sedulii mirabilium divinorum libri Paschale Carmen dicti et hymni duo, ex manuscriptis codicibus recensuit, et adnotationibus illustravit Christophorus Cellarius, Edit. 2da Halæ Magdeburg. 1739. 8; ed. Gruner 1747, 8.

sed utpote seculari literatura occupatus homo et nullius magisterio in divinis scripturis exercitatus levioris ponderis sententiam figuravit. Ita Gennadius, cujus tamen codex Corbèiensis legit: qvatuor versu edidit libros. Qvàtuor librorum meminit etiam Trithemius. Theodosio et Valentiano regnantibus Victor mortuus est.

Ex Aqvitania originem duxit Prosper Aqvitanicus, qvi cum chlamydatus Romam miles venisset a Leone Pontifice Maximo benigne susceptus est, et ad aliam militiam longe feliciorem translatus est, scripsit epigrammata 110 Vers. elegiac. ex Augustini sententiis; de Ingratis 1015 Vers. hexametr. odas insuper ac hymnos, ait Lilius, sed hymnos Prosperi Fabricius observare non potuit, nec alibi hymnos ipsum scripisse legit. Vixit Prosper Aqvitanicus usque ad captam a Genserico Romam. Obiit anno Christi 465 *).

Claudianus Mamertus. Viennensis ecclesiæ presbyter, qvi claruisse dicitur Ao. Christi 443 hymnum de passione Domini scripsit, ejusmodi enim poematis Mamerti magna cum laude Sidonius Apollinaris mentionem facit; minus certa ratione tribuitur eidem carmen contra varios errores, seu vanos poetas. Hymnus commaticus est, crebris aptisque commatibus incisus, sententiis non interruptis sed molliter cum versu cadentibus. Narratio simplex, agit primum de ortu Christi, deinde de ejus cruciatibus, et morte: conclusio habet apostrophen et est allegorica, non enim lignum alloqvitur aut extollit, sed eum, qvi in ligno mortuus est.


Alcimns Avitus: pater fuit Isacius, vir primum

*) Conf. Casimiri Oudini Commentarius de scriptoribus ecclesiæ antiqvis etc. Lipsiæ 1722, fol. Tom. 1.

senatorii ordinis, deinde in episcopum adsumtus. Avitus a puero humanis litteris apprime, et supra qvam illa ætas, Vandalorum et Gothorum incursionibus prope infecta, ferre posset, institutus, cum illum amplissimum alioqvi et locuples maneret patrimonium, valedicto mundo monasticen professus est in cænobio S. S. Petri et Pauli ad urbis Viennensis mænia. Jnde patri Isacio in episcopatu succedens totum se adversus sui temporis hæreses contulit. Claruit sub finem seculi Vti, Zenone et Anastatio imperatoribus. Scripsit poemata varia, e qvibus tantum supersunt: de origine mundi 327, de peccato originali 478, de sententia Dei 456, de diluvio mundi 657, de transitu maris rubri 742, de virginitate ad Fuscinam sororem 856 Vers. hexametr., carmen de fratribus Maccabæis illi qvoque a nonnullis tribuitur *).

Carminum genera, qvibus poetæ veteres ecclesiastici utuntur, sunt, prætermissis hexametris et pentametris ut satis superque notis, seqventia:

Primum genus est versus Jambicus dimeter seu qvaternarius, qvi locis imparibus constat e spondeo interdum anapæsto, dactylo aut tribrachy, paribus jambo vel tribachy, in fine vero jambo sive pyrrichio:



Ad hoc genus pertinent hymnus Damasi de Andrea Apostolo, omnes Ambrosiani, hymnus Prudentii. Imus, IIdus, XImus XIImus καθημερινῶν, IIdus et Vtus περὶ ϛεφάνων libri, et Sedulii IIdus vitam Christi continens, nullum enim genus in usu ecclesiastico fuit freqventius,

*) Ed. Sirmond. Parisiis 1643. 8.

Subscribitur hoc camen interdum alternis hexametris et senariis jambicis, qvale illud Prudentii carmen in Apotheosi;

Est vera secta, te magister consulo?
Rectamne servamus fidem?

Idem poeta alio utitur jambico dimetro, qvi primo loco habet jambum vel spondeum, aut anapæstum, secundo jambum solum, tertio jambum vel spondeum, cum syllaba superflua, talis est sextus καθμερινῶν hymnus:

Ades pater supreme!

Secundum genus est Jambicus trimeter sive senarius, qvi, si purus est, constat sex jambis, si, ut sæpissime, mixtus, primo, tertia et qvinto loco recipit jambum, spondeum, dactylum, anapæstum aut tribrachyn, secundo qvarto et sexto jambum tantum, aliqvoties anapæstum, et tribrachyn, qvamvis sexto sive ultimo loco raro admittat tribrachyn, freqventius pyrrichium:



hujus generis est præter alios hymnus Prudentii καθημερινῶν septimus:

O Nazarene, dux Bethlem, verbum patris.

Tertium genus est Dactylicus trimeter constans e tribus dactylis et semipede:



cujus generis sunt hymnus Prudentii καθημερινῶν IIItius,

O crucifer bone lucisator!

et Damasi

Martyris ecce dies Agathæ.

Qvartum genus est Dactylicus tetrameter, contignitur spondeo, bacchio et duobus dactylis:

— —|⏑ — —|— ⏑ ⏑|— ⏑ ⏑

ut apud Pudentium περὶ στεφάνων hymnus decimus qvartus:

Agnes sepulchrum est Romulea in domo.

Qvintum genus est Hendecasyllabus Phalæcius constans spondeo, dactylo, et tribus trochæis:

— —| ⏑ ⏑|— ⏑|— ⏑|— ⏑

qvalis ille qvartus καθημερινῶν hymnus:

Pastis visceribus ciboque sumpto.

Sextum genus est Hendecasyllabus Sapphicus, qvi absolvitur trochæo, spondeo, dactylo et duobus trochæis, et tertiæ cuivis strophæ adnectitur versus adonicus, dactylo et spondeo seu trochæo constans.

— ⏑|— —|— ⏑ ⏑|— ⏑|— ⏑
— ⏑ ⏑|— ⏓

Sic hymnus Prudentii καθημερινῶν octavus:

Christo servorum regimen tuorum,
Mollibus qvi nos moderans habenis,
Leniter frenas, facilique septos
lege coerces.

Septimum genus est Anapæsticus trimeter, constat anapæstis tribus, et syllaba indifferente: duo priores pedes promiscue tamen admittant spondeum, tertius vero anapæstum solum:

⏑ ⏑ —|⏑ ⏑ —|⏑ ⏑ —|⏓

Deus ignee fons animarum.

Prudentii καθημερινῶν hymnus undecimus.

Octavum genus est Choriambicus trimeter Glyconicus, constat spondeo, choriambo et pyrrichio seu jambo:

— —|— ⏑ ⏑ —|⏑ ⏓

Hymnus περὶ στεφάνων septimus.

Insignem meritis virum.

Nonum genus est Choriambicus tetrameter Asclepiadeus, constat spondeo, duobus choriambis jambo vel pyrrichio:

– –|– ⏑⏑ –|– ⏑⏑ –|⏑ ⏓

Jnventor rutili dux bone luminis. Hymn. Cath. Vtus. His duabus speciebus accinit etiam Prud. in Præfat. καθημερινῶν choriambicum pentametrum.

⏓ ⏓|⏓ ⏓⏓ ⏓|⏓ ⏓⏓ ⏓|⏓⏓ ⏑ –|⏑⏑

Per qvinqvennia jam decem,
Ni fallor, fuimus, septimus insuper
Annum cardo rotat, dum fruimur sole volubili.

Decimum genus, ut Hymn. περὶ στεφάνων 13tius.

Punica terra tulit, qvo splendeat omne, qvidqvid usqvam est.

Dactylicus Archilochius heptameter acatalectus constans e qvatuor primis pedibus spondeis vel dactylis indifferenter ut in versu heroico, deinde tribus trochæis vel spondeo ultime:

– ⏓⏓|– ⏓⏓|– ⏓⏓|– ⏓⏓|– ⏑|– ⏑|– ⏓

Huic adnectitur Archilochius ex jambo vel spondeo, jambo et syllaba, deinde e tribus trochæis vel spondeo compositus:

⏓ –|⏑ –|–|– ⏑|– ⏑|– ⏓

ut ille hymnus Prudentii περὶ στεφάνων

Plus solito coeunt ad gaudia, dic amice qvid sit?
Romam per omnem cursitant, ovantque —

eundem Archilochium præponit Prudentius dimetro trochaico in conclusione suorum operum:

⏓ –|⏑ –|–|– ⏑|– ⏑|– ⏓
– ⏑| ⏑|– ⏑|⏓

Pius fidelis, innocens, pudicus
Dona conscientiæ.

Undecimum genus, ut hymnus καθημερινῶν nonus, et περὶ ςεφάνων primus, qvi sunt Trochaici Octonarii: paribus locis scanditur hic versus trochæo, spondeo, rarius anapæsto; imparibus trochæo, excepto colo, in qvo spondeum qvoque admittit, ultima syllaba abundans sicuti ubique communis est:

— ◡ | — — | — ◡ | — — | — ◡ | — — | — ◡ | — ◡

Da puer plectrum, choreis ut canam fidelibus.

Ad hoc genus nonnulli qvoque referunt hymnum Claudiani Mamerti de passione Christi: Pange lingva gloriosi prælium certaminis; juxta vero opinionem Bedæ hujus hymni prior versus dimeter acatalectus est, alter dimeter catalectus, uterque trochaicus:

1. — ◡ | — ◡ | — ◡ | — ◡
2. — ◡ | — ◡ | — ◡ | ◡

qvo modo etiam in Breviario Romano, et a Leysero editus distingvitur.

Præter hæc carminum genera, qvæ cum omnia ad Dactylica, Jambica, Trochaica, Choriambica, et Anapæstica referri possint; nihil habent, qvod offendat; exstant nonnulla alia, in qvibus rythmicæ poesis variis artificiis prodiens destituitur Veterum exemplo, nec probari potest: hujusmodi generis sunt carmina alphabetica, qvæ dupliciter a literis initialibus ordine continuo deducuntur, vel cum in versibus singulis, vel in colis singulis tale literarum initium est; alia in qvibus initium prioris versus distichis singulis est finis posterioris, alia denique, qvæ literis singulis ab initio vel interdum qvoque in fine cujusvis strophæ positis singularem sententiam, nomen, aut his similia. Conferantur verbi causa Damasi Acrostichis de nomine Jesu, et duo hymni Sedulii.

Hac de re igitur, nec non de stylo minus elegante, qvantitate syllabarum neglecta et vocibus peregrinis a multis male audiunt sacri poetæ; exotica vero verba adhibuerunt et Veteres poetæ, cur non etiam recentiores eodem gauderent jure, sancito aucthoritate Horatii *):

Dixeris egregie, notum si callida verbum
Reddiderit junctura novum. Si forte necesse est
Indiciis monstrare recentibus abdita rerum,
Fingere cinctutis non exaudita Cethegis
Continget, dabiturque licentia sumpta pudenter:
Et nova fictaque nuper habebant fidem, si
Græco fonte cadant, parce detorta. Qvid autem
Cæcilio, Plautoque dabit Romanus ademtum
Virgilio, Varioque? ego cur acqvirere pauca,
Si possim, invideor? Cum lingva Catonis et Enni
Sermonem patrium ditaverit, et nova rerum
Nomina protulerit, licuit, semperque licebit
Signatum præsente nota producere nomen.

Et sane pleraque si non cuncta, nova nomina, qvibus nostri utuntur, græco fonte cadunt, et præcipue hæc sunt: abyssus, allophylus, anathema, azymus, brabeum, caumata, charasso, charisma, chrisma, colymbus, energema, eremus, hydrinus, mastigophori, protoplasti, tristega, tumbæ, zabolus.

Qvod ad qvantitatem syllabarum a poetis sacris neglectam attinet, negari neqvit, leges a profanis sancitas sæpius a nostris violari, potius sine dubio voluntate qvam ignorantia: corripitur ab illis contra naturam Litera a in vocibus frustra, Andrea, Damas: h. 1, v. 5, qva, Prud. Cath. 12, 106.

*) Ars poetic. v. 47-59.

Litera e in secunda Imperativi persona, ut extorqve apud Prudent., in compositione, ut in: enorme, enervo, eneco, emendo; penultima in vocabulo Bethlem, Prud. Cath. 7, 1.

— i prima in vocibus fio, spiritus, Sedul. h. 1 v. 110.

— o penultima in socors, Prud. Cath. 1, 34.

Syllaba as in nomine Elias, Paulin. Nolan. Prec. 2 v. 42.

— es in qvibusdam nominibus, ut in: pubes Prud. Cath. 7, 102; lues, Hamart. v. 250; at hoc loco rectius legitur luis; Herodes apud Sedul. h. 2 v. 29.

Pronomen cui, Dativus monosyllabus, dissyllabus utraque brevi.

Producitur contra naturam

Litera a penultimà in: utraque, recto casu, et in genere freqvens est, præsertim Prudentio, positio illa, qva brevis, inprimis a et e, in fine producitur propter seqventis vocis geminam Consonantem, verbi causa: reliqva, Prud. Cath. h. 5 v. 152; sordida, h. 9 v. 56; tristia, ibid. v. 78; anima, Cath. Præfat. v. 35, h. 10 v. 5 etc.

Syllaba us in voce domus, Nominativ. Singular., Paulin. Nol. Prec. 1, v. 15. prima Pronominis cui, et hoc Prudentii proprium.

Porro vocabula qvædam a Græcis in usum latini carminis a poetis christianis sumta mutant qvantitatem

a vel cum longæ vocales corripiuntur, ut η in Latinum e breve, ἐκκλησια, ερεμος, ἠθικη, ψαλτηριον, ecclesia, erĕmus, ethica, psaltĕrium; vel in i breve, παρακλητος, paraclĭtus, ενεργημα, energima.

b) vel cum breves vocales producuntur: ἐιδεα, μακεδων, θεμα, idea, macedo, thema.

c) vel cum e Diphtongo fit μονοφθογγος, ut: ἀιρεσις ἀινιγμα, ”ελογειον, σαφειρικος, hĕresis, ĕnigma, elogĭum, saphirĭnus.

Denique Sedulius in hymno, qvi inscribitur Collatio Veteris et Novi testamenti, non modo synalephen, sive elisionem omisit, verum etiam litera h ut consonante usus est.

”Stylum poetarum christianorum non posse comparari cum stylo antiqvorum scriptorum aurei, ut vulgo appellatur ævi, nemo non intelligit, qvi scit, cultum literarum humanarum jam admodum marcuisse, cum sacri poetæ florerent, et qvæ ipsi cantant sermone bene latino eoque poetico reddere difficillimum esse; non enim ut clarissimi olim Latii poetæ almam Cererem et munera Bacchi, non cæcos cupidinis ignes, non horrida bella et rigidi certamina Martis, non genus Deorum heroumque res gestas flore juventutis tempora cincti et læta fortuna gavisi cecinerunt, aut populi mores carmine mordaci perstrinxerunt, ut principibus placerent, Mecænates sibi pararent, aut genio suo indulgerent, sed gravioris sæpissime ætatis, cum jam hebesceret ingenii vis hanc vel illam sacræ Scripturæ partem metrice expresserunt, de dogmatibus religionis christianæ, Jesu Christi beneficiis et morte cruenta, ut ad pios sensus variasque virtutes excitarent, et a vitiis deterrerent homines, disseruere, aut memoriam Sanctorum Marty[illegible]que arrepta a diebus festis occasione, interdum [illegible]e res, qvæ ad externum Dei cultum pertinent, celebrarunt: nonnulla interea ex hisce carminibus sacris et hodie voluptas capitur *), et re vera qvidam poetarum christianorum eo videntur ingenio valuisse, ut alia in conditione, alioque rerum et temporum statu præclara opera posteris relinqvere potuissent” **).

*) Ich liebe die Gesänge derselben alten Christen wegen ihrer Einfalt, Salbung und, ich möchte sagen Hersenshoheit. Denn in den meisten ist das Ganze ein ohne Kunst in der æchten Sprache des Herzens gesagtes Gefühl. Johannes v. Müller Sämmtliche Werke, 5ter Theil S. 237 - 242.

**) Conf. Oedrichs Comment etc. G. Fabricii Poet. Vet. Eccl. Opera etc.; Seelen de poesi christian etc., L. G. Gelhud Dissertat. historice theologica de modo propagandi religionem per carmina, Brunsvic. 1725.

Hymni

Veterum Poetarum Christianorum

Selecti.

Hymnus

in Pascha Domini s. de ligno vitæ*) Victorino Petavionensi adscriptus.

Est locus, ex omni medium qvem credimus orbe,
Golgatha Judæi patrio cognomine dicunt,
Hic ego de sterili succiso robore lignum
Plantatum memini fructus genuisse salubres,
Non tamen hos illis, qvi se posuere, colonis
Præbuit, externi frnctus habuere beatos.
Arboris hæc species uno de stipite surgit,
Et mox in geminos extendit brachia ramos,
Sicut plena graveis antennæ carbasa tendunt,
Vel cum disjunctis juga stant ad aratra juvencis.

*) Victorinorum Scripta edit. ab Andr. Rivino, Gothæ, 1652, 8.

v. 1 medium qvem credimus, ita Cod. Dunens, et Corn. Guather.; Alii. medius, qvem cernimus.

v. 5. Succiso, Fabricius et Picus succisum. Sterile autem robur vocat poeta stemma Davidicum, de qvo non nisi virgo Maria supererat.

v. 9. Sicut. Ita rectius Anglicus Cod. et Fabric., Guatheri Cod. sic ubi.

v. 10. Sic Fabricius. Vicelius: sunt ad aratra; Anglicus Cod. sunt ab arante; Edit. Argentin. et Muling. inscitius adhuc. ab aratro.

Qvod tulit hoc primo, maturo semine lapsum,
Concepit tellus. Mox hinc, mirabile dictu,
Tertia lux iterum terræ superisque tremendum
Extulerat ramum vitale fruge beatum;
Sed bis vicenis conformiter ille diebus
Crevit in immensum, cælumque cacumine summo
Condidit, et tandem sanctum caput abdidit alto:
Cum tamen ingenti bissenos pondere ramos
Edidit, et totum spargens porrexit in orbem,
Gentibus ut cunctis victum vitamque perennem
Præberent, mortemque mori qvi posse docerent.
Expletis etiam mox qvinqvaginta diebus,
Vertice de summo divini nectaris haustum
Detulit in ramos cælestis, spiritus, aura,
Dulci rore graves manabant undique frondes.
Ecce sub ingenti ramorum tegminis umbra
Fons erat, hic, nullo casu turbante serenum,
Perspicuis illimis aqvis, et gramina lætos
Fundebant circum vario de flore colores;
Hunc circum innumeræ gentes populique coibant,
Qvam varii generis, sexus, ætatis, honoris,

v. 15. Ita Rivinus. Fabricius: firmatus et ille diebus; Angl. Cod. confirmato ille; Argenterat. et Muling. firmatur et ille diebus.

v. 23. Non cælitus, sed a supremo arboris hujus cacumine, ipso scilicet Salvatore, sanctum spiritum demissum venisse super Apostolos hæc verba innuunt.

v. 27. Nullo turbante serenum. Sic Cod. Anglic. et Guatheri; alii, nullo turbante sereno, qvod nihil est, nam nubilum tempus et pluvium turbat, neqvaqvam serenum, nec magis arridet Fabricii: serenus, qvia statim seqvitur, qvod idem, perspicuis illimis aqvis.

Innuptæ nuptaque simul, viduaque nurusque
Infantes, puerique viri, juvenesque senesque:
Hic ubi multigenis flexos incumbere pomis
Cernebant ramos, avidis attingere dextris
Gaudebant madidos cælesti nectare fructus.
Nec prius hos poterant cupidis decerpere palmis,
Qvam lutulenta viæ vestigia foeda prioris
Detererent, corpusque pio de fonte lavarent:
Ergo diu circum spatiantes gramine molli
Suspiciunt alta pendentes arbore fructus:
Tum, si qvæ ex illis delapsa putamina ramis,
Et dulces, multo rorantes nectare, frondes
Vescuntur, veros exoptant sumere fructus;
Ergo ubi cælestem ceperunt ora saporem,
Permutant animos, et mentes perdere avaras
Incipiunt, dulcique dapem cognoscere sensu.
Insolitum multis stomachum novisse saporem
Vidimus et fellis commotum melle venenum

v. 32. Pro: nurusque magis placet Rivin. socrusque veluti aniculæ; meliori seqventis versus ordini *ille* qvoque consulit scribendo:

Infantes, pueri, juvenesque viri, senesque.

v. 39. Detererent, ita Fabricius: magis ad rem apposite Angl. Cod. Detegerent ɔ: pænitentes peccata sua confessione sincera aperirent.

v. 47. Dapem, hoc vocabulum Rivinus substituit pro hominem, qvod nullum sensum admittit. Hic, et seqventes qvini versiculi a plerisque exemplaribus, Edit. qvoque Argentin. et Muling. absunt, et licet ille 47 vix possit abesse, cum ad perficiendum sensum ejus, qvi præcessit, desiderari omnino videatur, attamen succedentes merito vel ob ultimam voculam aliqvoties reiteratam suspecti sunt.

Rejecisse bonos turbata mente sapores,
Aut avide sumptum non dilexisse, diuque
Et male potatum tandem evomuisse saporem;
Sæpe qvidem multi renovatis mentibus ægros
Restituere animos, et qvæ se posse negabant,
Pertulerant, fructumque sui cepere laboris;
Multi etiam sanctos ausi contingere fontes
Discessere iterum subito, retroque relapsi,
Sordibus et coeno mixti volvuntur eodem;
Multi vera bono portantes pectore, totis
Accipiunt animis, penitusque in viscera condunt.
Ergo qvi sacros possunt accedere fontes
Septima lux illos optatas sistit ad undas,
Tingit et in liqvidis jejunos fontibus artus,
Sic demum illuviem mentis vitæque prioris
Deponunt labem, purasque a morte reducunt
Illustres animas, cælique ad lumen ituras.

v. 56. Fontes. Alii: mentes, unde Rivinus suspicatur mensas scriptum fuisse.

v. 61. Qvi Ita Angl. Cod. et Fabric., al. qviqve.

v. 66. Lumen. Sic Mss omnes pro: limen, qvod vulgo legitur; at perplacet vetus lectio, nam veteribus, observante Scaligero, φωτίζεσθαι erat βαπτίζεσθαι, et apud Gregor. Nazianzenum atque Nyssenum festum Epiphanias seu Baptismatis Christi ἑορτὴ vel ἡμέρα τῶν φώτων salutabatur. Postqvam baptismo expiati essent Candidati, in albis procedentes, cereosque accensos manibus portantes versus Orientem ab Occidente in chorum fidelium ducebantur cum hymnis et faustis adprecationibus. Conf. Ebr. 6, 4. φως est cujuslibet cognitionis imago; in N. T. tamen illius maxime, qvæ

Hinc iter ad ramos, et dulcia poma salutis,
Inde iter ad cælum per ramos arboris altæ,
Hoc lignum vitæ cunctis credentibus, amen.

per religionem christianam comparatur, Joh. 1, 9; Luc. 2, 32; Act. 26, 18; unde φωτίζειν tradere alicui religionem christianam, Eph., 1, 18, conf. 2 Cor. 4, 6; multum præstantiæ rhetorico huic loco periret, si φωτίζειν cum vers. Syr. Justino Dial. 2 pag. 94 et Clem. Alex. Pædag. Lib. 1 C. 6 de baptismo tantummodo intelligere velles. Heinrichs ad h. l. Baptismus φωτισμος, illuminatio vocabatur, qvod hominum mentes divina cognitionis luce perfunderet, qvemadmodum id nomen in Chrysostomo (Homil. 13 edit. Eton 1612) Nazianzeno (Orat. 40 de bapsism.) Dionysio Areopagita (Hierarch. eccles. cap. III) Concilio Laodiceno (cap. 47) aliisque scriptoribus freqventer occurrit. Ratio istius nominis petenda esse videtur partim ex prævia catechumenorum institutione in præparatione eorum ad baptismum, secundum illud Justini Martyris (Apolog. II pag. 94. Paris. 1636) καλεῖται δε τετο το λυτρὸν φωτισμος ὡς φωτιζομένων την διάνοιαν τῶν ταῦτα μανθανόντων, "vocatur lavacrum hoc illuminatio, qvod eorum, qvi hoc discunt, mentes illuminentur". Partim etiam inde, qvod esset introitus in statum illuminatum. et introductio in divinam cognitionem, qvæ gradatim perfectior evadat. Nam Iustini verba de illuminatione baptismum conseqvente intelligi possunt. Atque hoc modo rationem appellationis hujus reddunt Clemens Alexandrinus (Pædag. L. 1 c. 6) et Pseudo-Dionysius, qvod cum baptismus primam lucem conferat, omniumque divinarum illustrationum principium existat, ex effectu illustrationis nomine celebretur. Fortassis ita etiam vocari potuit, eo qvod baptizati nunc ad omnes mysticas partes et reconditam notitiam religionis admitterentur, qvæ ex disciplina ecclesiæ illis, dum essent catechumeni, celabantur. Vid Bingham Orig. Eccles. Tom. IV.

Fabii Marii Victorini

Hymnus

de Jesu Christo deo et homine *).

Verbum Christe dei, patris cælestis imago,
Protulit hunc partus, genitum de virgine foeta,
Invictusque pudor gaudet peperisse tonantem
Ex utero, sine matre deum, de conjuge nullo,
Maternosque sinus cælum fecisse secundum.
Corporis augusti parva spatiatus in aula,
Intra membra manens, animaque et conditor ævi,
Natus homo, nostrosque deus nutritus in annos.
Dignatus toti placidum se protulit orbi.
Solstitialis hyems, astrumque insigne movetur
In cælo fulgens, ut mundus crederet omnis
Ob culpam veniale jubar: tu suffice vires
Arbiter inque novos aperi præcordia sensus,
Et tandem tu solve tibi! tranqvillus in astris
Forte pater residens, mentem virtute parabat,
Curans nostræ animæ regnum, cælestia templa,
Tellurisque vices, verbum medicabile dixit.
Nascere (namque placet, præruptæ carcere mortis
Eripiam mortale genus) spes gentibus esto,
Principium sine fine, qvod abstulit invidus error,
Qvod facinus commisit atrox, tolletur id omne,
Ad veniam venias homini: stat fulmen et imber
Ignis in obseqvio, glacies, vapor, æstus et auræ

*) Victorinorum scripta edit. ab Andr. Rivino. Gothæ 1652, 8.

v. 22. Venias. Aptius hoc respondet prægresso: spes gentibus este, qvam qvod vulgo legitur, venere.

Conveniunt famulante Noto, terræque triumphant
Et cælum sublime tonat, pars ardua gaudet
Cum domino venisse pio: tunc nascitur infans
Matura virtute deus, cui vertice sacro
Cæsaries librata micat, splendetque superna
Fulmineum per membra jubar, decus omne per ora
Eminet, et faciem, patrique simillimus ille,
Ut ne qvid differret, erat: miracula cujus
Gloria conseqvitur, fluvios in vina refundens,
Hoc donum sponsale dedit, tum fruge comesta
Congeriem superesse jubet, tot millia turbæ
Conveniunt esura, dehinc matrisque dolorem
Conspicit, ad manes ducentem flebile funus,
Ponite, ait, juvenem, nihil est, qvod mortis iniqvæ
Extinctum lamenta ferant, dixitque: resurge,
Et rursum cognosce diem, jussumque cadaver
Prosilit ante oculos, lætus fit plangor in omnes.
Qvod meruit non posse, virum tunc corripit unum
Spiritus hostilis, vultum cui protinus omnem
Perdiderat rabies, stimulis gerit effera lora
Torta caput, stridens et anhelo pectus hiatu,
Spuma furit mixtusque color moerentis in illo,
Non ridentis erat: vires sed perdidit hostis
Adventu propiore dei, gemituque profatur:
Cedimus inviti, toto nam pellimur orbe,
Te regnante, deus! terras hominesque relinqvo,
Ulterius tentare timens: sic ille refectus

v. 40. In omnes. Forte legendum: in auras.

v. 41. Qvod meruit non posse. Sensus: de qvo dolendum est, qvod tantum possit, et plus qvidem, qvam meruerat posse spiritus hostilis.

Surgit et ad nostrum specimen redit, hoste repulso.
Progreditur virtus nostræ medicata saluti,
Pervenit ad fragiles, hic rivum corpore putrem
Fonte lavat, claudum firmat, reficitque jacentem,
Et cæco dat nosse diem: procede sepulchro
Lazare! clamat, et hæc ad vitæ lumina surge,
Atque hæres succede tibi: subito ille regressus
Auctorem viditque suum, novitque magistrum.
Extremum mulier, domini cui tangere vestem,
(Saucia qvæ fuerat jamdudum sangvine fluxo)
Contigit, et vires subitos collegit in artus.
Funera tot curans hominum, tot vulnera purgans,
Et deus et medicus, judex pater auxiliumque,
Omnia Christus erat: Petro sublime locutus:
Claves sume poli, cujus tu janitor esto,
Qvæque voles, licuisse dedi: sic dixerat, altæ
Finis in occidui metas portæque subibat
Pronior orbe dies, et limen pandere noctis
Cæperat; hinc epulis jussi de more sodales
Ad mensam adventare dei, tunc præscius ipse:
Traditor unus hic est, mecum qvi vescitur, inqvit,
Non facinus, sed tempus habens: ruit inde caterva
Vim factura deo, gladios cui præbuit ira,

v. 51. Ad nostrum specimen. Forte qvoque hic scriptum fuit: ad nostram speciem.

v. 7. Atque hæres succede tiki. Redivivus ipse sibi in hæreditate succedit.

v. 72. Non facinus sed tempus habens. Hoc non ita intelligendum, ut Judas non dicatur facinus habere facinorosissimus; respicitur forsan ad illud, qvod Johannes C. 13 v. 27 memorat, Judam a Domino fuisse monitum, ut, qvod meditatus fuerat, facinus maturet, qvasi scilicet tempus jam habeat.

Et dedit arma furor: tradens dedit oscula signum
Perfidus, et justo confregit guttura nodo.
Forte dies solennis erat, qvo jure tribunal
Privatum lictore silet, tortore qvieto,
Non Ebræa minax ponit vindicta furorem,
Supplicio fugiente caput, tunc Christus habetur
Majestate reus, fuit ardens improba turba,
Hunc satis est jam morte mori, flagrisque cruentum
Affixere cruci: felix sed germine lignum
Qvod meruit portare deum, proh gloria qvanta est!
Ligno vita perit, per lignum vita revertit,
Junguntur que scelesta pio, fit latro beatus,
Et caruit fecisse nefas, dominumque fatetur,
Digna pati referens, meruit de crimine palmam,
Et placuit comes ire deo, sed linqvitur alter,
Non credens, gemitu exspiransque in tartara plangit.
Sed deus omnipotens patrem clamore per auras
Suprema jam voce vocat: qvia deseror, audi!
Tempus erat flatum patri solvisse tonanti,
Et manes patuere, profugit et undique cælum,
Turbinibus natura perit, mixtisque tenebris
Nox fuit illa dies, confusa nube premebat
Arva, domosque chaos, fixus stetit impiger axis,

v. 86. Et caruit fecisse nefas. Elliptice pro: et caruit pœna æterna, qvod tantum nefas patrarit.

v. 87. Non ob crimen palmæ honorem retulit, sed qvod pœnitentia ultro fassus fuerit, se cum socio digna flagitiis suis pati.

v. 92. Flatum. Ita scriptum fuisse judicat Rivin. cumque voci illi. flatum Scholiastes qvidam superscripsisset spiritum, inde postea textui hoc obtrusum a librariis.

v. 93. Manes h. l. ut supr. v. 36 sepulchra.

Surgit et ad nostrum specimen redit, hoste
Progreditur virtus nostræ medicata saluti,
Pervenit ad fragiles, hic rivum corpore
Fonte lavat, claudum firmat, reficit
Et cæco dat nosse diem: procede
Lazare! clamat, et hæc ad vitæ
Atque hæres succede tibi: sub
Auctorem viditque suum, r
Extremum mulier, domi in omnes,
(Saucia qvæ fuerat jam sepultus;
Contigit, et vires s ia semper
Funera tot curans penetrale resurgens
Et deus et med um in sæcula venit
Omnia Chris m Jesus post funera vixit:
Claves sum e poli tum primum lumen agebat,
Qvæque æternum testata diem, clarumque per orbem
Finis cuspide fulminea noctis diviserat umbram
Pro Stellifero temone jubar: deus ultor ab umbris
C Ecce redit, vivusque suis (mirabile visu)
Corporeus per clausa venit, dubiumque sodalem
Alloqvitur, firmans animum, corpusque retexens,
Infer, ut agnoscas, digitum, clavosque revulsos,

v. 102. Et luctum flumina plorant. Forsan legend. et fluctus flumina plorant, cum seqvatur. Inque sinus rediere suos.

v. 103-4. Conf. Pott. in 1 Petr. 3, 19; ejusdemque Excurs. III de Descens. J. C. ad infer.

v. 108. Rupit, ita Rivin. pro particul. qvamvis, qvæ vulgo legitur, et nullum sensum admittit.

v. 109. Mox. Ob metri rationem substitui hoc vocabulum pro an, qvod Fabricius, et at, qvod Rivinus habet.

v. 112. Clarumque Sic legend. videtur pro clarusque.

crux amara præparat
futuræ gaudia.
... crucis mysterium
... o stigmate
... ucis per crucem
... nuam.
... ngvidos,

... d...

... mis, decus
... ux ampla jacet, cru...
, et hic sine nocte dies, hic scep...
... lmina censentur, strepituque tonitrua fervent, nello stig-
Angelicos vocat ordo choros, servire paratos, cat per
Sol etiam rapidus, lunæ qvoqve splendidus axis seu
Excubat, observant auræ, pluvioque jubentur r.
Omnigenum rorare solum, te maxime mundi
Arbiter! exorat pelagus, te flumina, fontes,
Stagna, lacus, fluctus, et mersæ gurges abyssi
Te recinunt volucres, et vulgus reptile ponti,
Te sperant animæ, veniam te vindice poscunt.

Hymnus Damasi *).

de S. Andrea Apostole **)

Jambic. Qvaternar.

Decor sacrate Numinis;
Virumqve nomine exprimens,

*) Damasi carmina sacra — ab Andr. Rivino. Lipsiæ 1652, 8.

**) Andreas, frater Simonis Petri, natus Bethsaidæ Galilææ, primum Johannis Baptistæ, deinde Jesu Christi

Sic te decorum prædicat
Crucis beatæ gloria!
Andrea Christi Apostole,
Hoc qvippe jam vocabulo
Signaris, isto nomine
Decorus idem mystice.
Qvem crux ad alta provehit,
Crux qvem beata diligit,

discipulus et Apostolus *). Postqvam ex his terris discessum Servatoris fertur Andreas religionem christianam per Cappadociam, Galatiam, Bithyniam usque in Schythiam promulgasse, Stachyn, a Paulo laudatum (Rom. 16, 9) episcopum primum Byzantii constituisse, et postea per Thraciam, Macedoniam et Thessaliam divinam doctrinam magno studio multisque miraculis confirmasse; ad postremum vero Patræ Achaiæ jussu proconsulis Ægeæ, indignati ob uxoris Maximillæ et fratris Stratochlæ conversionem ad Christum exhortationibus apostoli, hic dicitur graviter cæsus cruci, et qvidem, ut ajunt, decussatæ non clavis, sed ut diutius torqveretur, fune adligatus tandem die 30 Novembris, incertum cujus anni, e vita decessisse. Qvæ narrationes, etiamsi vix ullam merentur fidem, utpote hujusce hymni interpretationi inservientes commemorantur. Vid Nicephor. Histor. eccles. L. 2 c. 39; Men. Græcor. ad diem 30 Novembr. Abdiæ Histor. Certam Apostol. et inprinus Celebrr. Münteri Den ældste Kirkes Forfölgelses Historie.

*) Πρωτόκλητος ab antiqvis scriptoribus ecclesiasticis minus recte appellatur: *ὡς προτόκλητον πάντων τῶν μαθητῶν και ἀυτοπτην τȣ̃ λόγȣ και ὑπȣργὸν, Ανδρέα ἀπόςολε, κατα χρεςος τιμῶμεν σε.* Vid. Menæa Græcor.

v. 1. Primó hoc ver iculo respici, qvod cum Petro fretre primus fuerit Christi Apostolus, secundo vero, qvod dicatur Andreas, seqveus stropha innuit, ubi vocabulum Apostoli a nomine Andreæ distingvitur.

Cui crux amara præparat
Lucis futuræ gaudia.
In te crucis mysterium
Cluit gemello stigmate
Dum probra vincis per crucem
Lucisqve pandis januam.
Jam nos foveto langvidos,
Curamqve nobis subjice,
Qvo per crucis victoriam
Cæli petamus patriam.

v. 14. Cluit gemello stigmate. Cluit ɔ: pollet; gemello stigmate, genuino seu nomine, qvi et probra vincat per crucem ut vir, et fundat sangvinem pro cruce, seu doctrina Crucifixi, ut ejus et Apostolus et martyr. Stigma, nota vulneris corpori impressa. Notis corpora signabant gentiles, easque notas religionis causa membris ferro inurebant. Membra ejusmodi stigmatis notata post mortem non una sepeliebant cum reliqvo cadavere, sed amputata habebant pro sacris, eaque aut ornabant bracteis aureis, aut tota includebant vitris et metallis: Conf. Prudent. Stephan. hymn. X. Inde fortasse invasit ille mos in ecclesiam, ut digiti, brachia, articuli sanctorum includerentur vasis, et osculanda porrigentur, aut proponerentur spectanda. G. Fabric. Comment. in Poet. Christian. Conf. Svicer. Thesaur. eccles.

v. 16. Lucisque pandis januam Ita Rivin., sic enim respondet præcedentis et succedentis strophæ versibus pariter ultimis, qvando crux amara præparare lucis gaudia, et per crucis mysterium cæli patria peti dicitur, ita vero hic per crucem lucis pandi janua.

v. 17. Jam nos foveto. virili tuo nomine et exemplo.

v. 19. Qvo per crucis victoriam, subintellig. Christi.

Hymnus Damasi *).

de Agatha **) Martyre Catan. Sicula.

Vers. Dactyctic.

Martyris ecce dies Agathæ
Virginis emicat eximiæ,

*) Damasi carmina sacra — ab Andr. Rivino. Lipsiæ 1652, 8.

) De Agathæ familia, pueritia rebusque in ea gestis vix certi aliqvid afferri potest. In Vitis S. Siculorum dicitur Panormi insigni, præclaroque genere nata. Acta ejusdem martyris consularia, qvæ etiam latina dicuntur habet Bollandus; exstant qvoque græce a Metaphraste exarata; hæc referunt: Anno Christi 253 Nonas Februarii *) sub Decio Cæsare jussit Qvinctianus Siciliensi provinciæ præfectus Agatham in eqvuleo suspensam torqveri et qvidem in mamilla, hanc diutius tortam abscindi, virginem ipsam testis acutis et carbonibus vivis nudo corpore volutari, cumque hoc fieret, locus, in qvo volutabatur, commotus est, hinc Qvinctianus perterritus illam in carcerem denuo recludit, qvo seqvente nocte Christus beatissimæ martyri apparuit, ejusque vulnera curavit: tandem jussu Qvinctiani Agatha gladio occisa est **). "In Sicilia, inqvit Ruinart, passa est Agatha, virgo celebris, cujus martyrium describit Damasus". *). In Missali Gelasiano non aliæ virgines, qvales sunt Soter, Agatha etc. appellantur usqvam virgines, qvem titulum si Agnetem excipias, soli Mariæ concessum in hoc Missali deprehendi, qvod fere idem observari potest in Sacramentario Gregoriano. Primam hanc tamen inter alias Virgines et Martyres, qvæ beatissimam Virginem Deiparam comitantur, Fortunatus recenset Libr. 8 Carm. de Virginitate":

Illic Euphemia, pariter qvoqve plaudit Agatha.

*) Similiter Calendar. Carthagin. "Nonas Februarii sanctæ Martyris Agathæ". Vid. Ruinart Acta Martyrum pag. 695.

**) Confer. Amici Catana illustrata, Tom. 1 pag 27.

***) l. c. pag. 51 Præfat., et pag. 541.

Qva sibi Christus eam sociat,
Et diadema duplex decorat.
Stirpe decens, rutilans specie
Sed magis actibus atqve fide:
Terrea prospera nil reputans
Jussa dei sibi corde ligans.
Fortior hæc trucibusque viris
Exposuit sua membra flagris,
Pectore qvam fuerit valido
Torta mamilla docet patulo.
Deliciæ cui carcer erat,
Pastor ovem Petrus hanc recreat,
Lætior inde magisqve flagrans
Cuncta flagella cucurrit ovans.
Ethnica turba rogum fugiens,
Hujus et ipsa meretur opem:

v. 3. Qva, scilicet die.

v. 4. Diadema duplex, martyrii et virginitatis.

v. 9. Fortior hæc trucibusque viris: proconsule Qvinctiano et stipatoribus ejus carnificibus.

v. 12. Patulo, clare et manifeste, adverbialit.

v. 17. Ethnica turba rogum fugiens: post mortem Agathæ populus gentilis Catanensis perculsus summo discrimine Ætnæ flammis solito acrius exundantis, et magno impetu per agros decurrentis, atqve ipsi urbi exitium minitantis, ad sepulchrum martyris fertur confugisse, et velum ejus tumulo superpositum objecisse rapido igni, qvi protinus divina virtute cohibitus, ultra progredi, non ausus sit. At Carrera (Histor. Cat. Vol. 2 Libr. 2) supicatur, vocabulum Ethnica fortasse levi mutatione Amanuensis in hymnum irrepsisse pro ætnæa; si prius retineatur omnino etnica turba intelligendum est de Paganis ɔ: gens rustica, nam a jurisconsultis pagani a

Qvos fidei titulus decorat,
His Venerem magis ipsa premat.
Jam renitens qvasi sponsa polo,
Pro misero rogitet Damaso,
Sic sua festa coli faciat,
Se celebrantibus ut faveat.

pagis dicuntur, et ævo, qvo Notarii acta scripsere, nemo pagani voce pro ethnico usus est, sed aut de rusticis, aut urbanis nunqvam militiæ adscriptis; si vero ætnæa præferatur, ob metrum legatur, ætnea.

v. 19 20. Cum Agatha represserit ætneum ignem, ne multitudini paganorum incommodaret, multo potius nunc in fidelibus incendia libidinum et concupiscentiæ flammas restingvat. Pro. Venerem placet Rivino legere. cinerem. Affectus humanos doloso cineri suppositos, ne erumpant, reprimat.

v. 21. Renitens. Sic Rivin. cum Galfrido (iu Expositione hymnor. Basileæ 1497 p. 17). Alii renidens.

v. 22. Pro misero rogita Damaso. Non dubium est, inqvit Rivin. ad b. l. qvin ita prius scriptum ab auctore fuerit, cum vero hymnus hic in ecclesia cantaretur, seqvioribus seculis mutatus hic ita fuit versus, ut habet Clichtoreus, Msti Hymnarii et Galfridus Grammaticus: Pro miseris supplica domino! scilicet ut consonantiam servarent finalem illius carminis cum præcedenti versu, polo scil. qvorum rythmorum nimis affectanter fuerunt studiosi, alias melius dixissent. Pro miseris rogita dominum. Ipse vero propius legi dixerim hoc pacto. Jam renitens qvasi sponsa polo Pro misero rogita populo: nisi forte seqventes duo versus omnino ostendant domino fuisse scriptum, qvi se celebrantibus debeat favere, siqvidem sua festa velit coli. Aut sane scribendum rogitet illa (ut premat) sic sua festa postea legi et intelligi posseut.

Hymni Ambrosiani*)

I.

Jambic. Qvaternar.

In Breviar. Rom. A. Dominic. proxim. Calend. Octbr. usqve ad Adventum, in Diluculo

Æterne rerum conditor,
Noctem diemqve qvi regis,
Et temporum das tempora
Ut alleves fastidium;

Præco diei jam sonat,
Noctis profundæ pervigil,
Nocturna lux viantibus
A nocte noctem segregans.

Hoc excitatus lucifer
Solvit polum caligine,
Hoc omnis erronum chorus
Viam nocendi deserit.

Hoc nauta vires colligit
Pontiqve mitescunt freta,
Hoc ipsa petra ecclesiæ
Canente culpam diluit

Surgamus ergo strenue,
Gallus jacentes excitat
Et somnolentos increpat,
Gallus negantes arguit.

Gallo canente spes redit,
Ægris salus refunditur
Mucro latronis conditur,
Lapsis fides revertitur.

Jesu labantes respice,
Et nos videndo corrige

*) Ambrosu Mediolan. Episc. opera, Parisiis 1690, fol.

Si respicis lapsus cadunt,
Fletuqve culpa solvitur.
Tu lux refulge sensibus
Mentisqve somnum discute!
Te nostra vox primum sonet,
Et vota solvamus tibi.

II.

Deus creator omnium
Poliqve rector vestiens
Diem decoro lumine,
Noctem soporis gratia.
Artus solutos ut qvies
Reddat laboris usui,
Mentesqve fessas allevet,
Luctusqve solvat anxios.
Grates peracto jam die,
Et noctis exortu preces
Votis reos ut adjuves,
Hymnum canentes solvimus.
Te cordis ima concinant,
Te vox canora concrepet,
Te diligat castus amor,
Te mens adorat sobria.
Ut cum profunda clauserit
Diem caligo noctium,
Fides tenebras nesciat,
Et nox fide reluceat.
Dormire mentem ne sinas,
Dormire culpa noverit,
Castos fides refrigerans
Somni vaporem temperet.

Exuta sensu lubrico
Te cordis alta somnient,
Nec hostis invidi dolo
Pavor qvietos suscitet.
Christum rogemus et Patrem,
Christi Patrisqve spiritum
Unum potens per omnia
Fove precantes trinitas.

III.

Jam surgit hora tertia,
Qva Christus adscendit crucem,
Nil insolens mens cogitet,
Intendat affectum precis.
Qvi corde Christum suscipit,
Innoxium sensum gerit:
Votisqve præstat sedulis,
Sanctum mereri spiritum.
Hæc hora, qva finem dedit
Diri veterno criminis
Mortisqve regnum diluit,
Culpamqve ab ævo sustulit.
Hinc jam beata tempora
Cæpere Christi gratia:
Fide replevit veritas
Totum per orbem ecclesias.
Celso triumphi vertice
Matri loqvebatur suæ:
En filius, mater, tuus!
Apostole, en mater tua!
Prætenta nuptæ foedera
Alto docens mysterio,

Ne virginis partus sacer
Matris pudorem læderet.
Cui fidem cælestibus
Jesus dedit miraculis:
Nec credidit plebs impia;
Qvi credidit salvus erit.
Nos credimus natum deum,
Partumqve virginis sacræ,
Peccata qvi mundi tulit
Ad dexteram sedens Patris.

IV.

Veni redemptor gentium *),
Ostende partum virginis:
Miretur omne seculum:
Talis decet partus deum.

Danic. Kom Hedningernes Frelser sand etc.

Non ex virili semine,
Sed mystico spiramine,
Verbum dei factum est caro,
Fructusqve ventris floruit.
Alvus tumescit virginis
Claustrum pudoris permanet:
Vexilla virtutum micant:
Versatur in templo deus.
Procedens de thalamo suo,
Pudoris aula regia

*) Breviarium Cisterciencis huic hymno primam strophen, qvæ nusqvam alibi reperitur, sic exhibet.
Intende qvis Regis Israel,
Super Cherubim, qvi sedes:
Et pare Ephrem coram, excita
Potentiam tuam et veni:

v. 13. Procedens. Faustus Regiensis. Procede.

Geminæ Gigas substantiæ,
Alacris ut currat viam.
Egressus ejus a patre
Regressus ejus ad patrem:
Excursus usqve ad inferos,
Recursus ad sedem dei.
Æqvalis æterno patri
Carnis trophæo accingere
Jnfirma nostri corporis
Virtute firmans perpeti.
Præsepe jam fulget tuum,
Lumenqve nox spirat novum,
Qvod nulla nox interpolet,
Fideqve jugi luceat.

V.

Jlluminans altissimus
Micantium astrorum globos,
Pax, vita, lumen, veritas,
Jesu fave precantibus.
Seu mystico baptismate
Fluenta Jordanis retro
Conversa qvondam tertio
Præsente sacraris die.
Seu stella partum virginis
Cælo micans signaveris,
Et hac adoratum die
Præsepe Magos duxeris.
Vel hydriis plenis aquæ
Vini saporem infuderis:
Hausit minister conscius,
Qvod ipse non impleverat.

Aqvas colorari videns,
Inebriare flumina;
Mutata elementa stupent
Transire in usus alteros.

Sic qvinqve millibus viris,
Dum qvinqve panes dividis,
Edentium sub dentibus
In ore crescebat cibus.

Multiplicabatur magis
Dispendio panis suo:
Qvis hæc videns mirabitur
Iuges meatus fontium?

Inter manus frangentium
Panis rigatur profluens:
Intacta qvæ non fregerant
Fragmenta subrepunt viris.

VI.

In Breviar. Roman. Feria secunda, ad laudes.

Splendor paternæ gloriæ,
De luce lucem proferens
Primordiis lucis novæ,
Diem dies illuminans,

Verusqve sol illabere,
Micans nitore perpeti,
Iubarqve sancti spiritus
Infunde nostris sensibus.

Votis vocemus et patrem,
Patrem perennis gloriæ,
Patrem potentis gratiæ,
Culpam releget lubricam.

Informet actus strenuos,
Dentes retundat invidi

Casus secundet asperos,
Donet gerendi gratiam.
Mentem gubernet et regat
Casto fideli corpore,
Fides calore ferveat
Fraudis venena nesciat,
Christusqve nobis sit cibus,
Potusqve noster sit fides,
Læti bibamus sobriam
Ebrietatem spiritus.
Lætus dies hic transeat,
Pudor sit ut diluculum,
Fides velut meridies,
Crepusculum mens nesciat.
Aurora cursus provehit,
Aurora totus prodeat,
In patre totus filius,
Et totus in Verbo pater.

VII.

Æterna Christi munera
Et martyrum victorias
Laudes ferentes debitas
Lætis canamus mentibus.
Ecclesiarum principes
Belli triumphales duces
Cælestis aulæ milites,
Et vera mundi lumina.
Terrore victó sæculi,
Spretisqve poenis corporis
Mortis sacræ compendio
Vitam beatam possident.

Traduntur igni martyres
Et bestiarum dentibus,
Armata sævit ungulis
Tortoris insana manus.
Nudata pendent viscera,
Sangvis sacratus funditur,
Sed permanent immobiles
Vitæ perennis gratia.
Devota sanctorum fides,
Invicta spes credentium,
Perfecta Christi caritas
Mundi triumphat principem.
In his paterna gloria,
In his voluntas filii,
Exaltat in his spiritus,
Cælum repletur gaudiis.
Te nunc redemptor qvæsumus,
Ut ipsorum consortio
Jungas precantes servulos
In sempiterna sæcula.

VIII.

In Breviar. Roman. Feria secunda, ad Matutinum.

Somno refectis artubus,
Spreto cubili surgimus,
Nobis, pater, canentibus
Adesse te deposcimus!
Te lingva primum concinat,
Te mentis ardor ambiat
Ut actuum seqventium
Tu sancte sis exordium.
Cedant tenebræ lumini
Et nox diurno sideri,

Ut culpa, qvam nox intulit,
Lucis labascat munere.
Precamur idem supplices,
Noxas ut omnes amputes,
Ut ore te canentium
Lauderis in perpetuum.
Præsta pater piissime,
Patriqve compar unice,
Cum spiritu paraclito,
Regnans per omne seculum.

IX.

In Breviar. Roman. Feria tertia, ad Matutinum.

Consors paterni luminis
Lux ipse lucis, et dies,
Noctem canendo rumpimus,
Adsiste postulantibus.
Aufer tenebras mentium,
Fuga catervas dæmonum,
Expelle somnolentiam
Ne pigritantes obruat.
Sic Christe nobis omnibus
Indulgeas credentibus,
Ut prosit exorantibus,
Qvod præcinentes psallimus.

X.

Danie. O du trefoldig Enighed etc.

O lux beata Trinitas,
Et principalis unitas,
Jam sol recedit igneus
Infunde lumen cordibus.
Te mane landum carmine,
Te deprecamur vespere

Te nostra supplex gloria
Per cuncta laudet sæcula. —

Aurelii Prudentii Clementis.

Cathemerinon Liber*).

Præfatio.

In ea breviter perstringit poeta potiora vitæ sua gesta usqve ad annum septimum et qvinqvagesimum, qvo a profanis ad sacra animum ingeniumqve traduxit, atqve omnium ferme innuit suorum poeticorum operam argumenta.

Vers. Choriambic.

Per qvinqvennia jam decem,
Ni fallor, fuimus: septimus insuper
Annum cardo rotat, dum fruimur sole volubili.
Instat terminus, et diem
Vicinum senio jam deus adplicat,
Qvid nos utile tanti spatio temporis egimus?
Ætas prima crepantibus
Flevit sub ferulis. Mox docuit toga
Infectum vitiis falsa loqvi, non sine crimine:
Tum lasciva protervitas,
Ac luxus petulans (heu pudet ac piget!)
Foedavit juvenem neqvitiæ sordibus ac luto.

*) Aurel. Prudent. Clement. opera, Parmæ 1788, 4to. Liber Καθημερινῶν h. e. qvotidianorum carminum, qvod majore sui parte hymnos continet qvotidie canendos.

Exin jurgia turbidos
Armarunt animos, et male pertinax
Vincendi studium subjacuit casibus asperis:
Bis legum moderamine
Frenos nobilium reximus urbium,
Jus civile bonis reddidimus, terruimus reos,
Tandem militiæ gradu
Evectum pietas Principis extulit
Adsumptum propius stare jubens ordine proximo.
Hæc dum vita volans agit,
Inrepsit subito canities seni,
Oblitum veteris me Saliæ consulis arguens.
Sub qvo prima dies mihi,
Qvam multas hiemes volverit, et rosas
Pratis post glaciem reddiderit, nix capitis probat.
Numqvid talia proderunt
Carnis post obitum vel bona, vel mala;
Qvum jam qvidqvid id est, qvod fueram, mors aboleverit?
Dicendum mihi, qvisqvis es,
Mundum, qvem coluit, mens tua perdidit.
Non sunt illa dei qvæ studuit, cujus habeberis.

v. 15. Jurgia. Contentiones forenses.

v. 20. Principis. Theodosii Magni.

v. 22. Vita volans. Cod. Thuaneus vita volens.

v. 23. Inrepsit. Vat. duo oprepsit.

v. 33. Cujus habeberis. Glossator unius Vaticani Cod. sic. adqvem solum pertinebis, ut remuneret, aut dannet.

Atqvi fine sub ultimo
Peccatrix anima stultitiam exuat.
Saltem voce deum concelebret, si meritis neqvit;
Hymnis continuet dies,
Nec nox ulla vacet, qvin dominum canat,
Pugnet contra hereses, catholicam discutiat fidem,
Conculcet sacra gentium,
Labem, Roma, tuis inferat idolis,
Carmen martyribus devoveat, laudet Apostolos.
Hæc dum scribor vel eloqvor,
Vinclis, o utinam, corporis emicem
Liber, qvo tulerit lingva sono mobilis ultimo.

Hymnus. I.

Ad Galli Cantum.

Hortatur in illo fideles, ut gallo sub adventum lucis canente, surgant omnes ad canendum Christo Deo, petendamqve peccatorum sucrum condonationem.

Jambic. Qvaternar.

Ales diei nuntius
Lucem propinqvam præcinit;
Nos excitator mentium
Jam Christus ad vitam vocat.

In Breviar. Roman. Feria tertia de tempore ad laudes.

v. 35. Anima, ultima syllaba brevis est, qvam metri ratio non admittet; forsan igitur sic. Pravi conscia mens stultitiam exuat. Ceterum conf. supr. p. 17.

v. 41. Idolis. Idolon, εἴδωλον, apud Ecclesiasticos etiam Idolum mediam semper habet correptam, fortasse indulgentes consvetudini vulgi, ne in templis discrepans esset eruditorum et multitudinis concensus. Fabric.

Auferte, clamat, lectulos
Ægros, soporos, desides.
Castiqve recti ac sobrii
Vigilate jam sum proximus.
Post solis ortum fulgidi
Serum est cubile spernere;
Ni parte noctis addita
Tempus labori adjeceris.
Vox ista, qva strepunt aves,
Stantes sub ipso culmine,
Paulo anteqvam lux emicet,
Nostri figura est judicis.
Tectos tenebris horridis
Stratisqve opertos segnibus
Svadet qvietem linqvere
Jam Jamqve venturo die.
Ut qvum corucsis flatibus
Aurora cælum sparserit,
Omnes labore exercitos
Confirmet ad spem luminis.
Hic somnus ad tempus datus

v. 6. Ægros, soporos, desides. Ita Heinsius ex fide Mss., qvibus Vaticani omnes concordant, præter duos, qvorum prior habet ægros sopore desides, alter ægro sopore desides. Vocat autem lectulos ægros, soporos, desides, qvia nos ægritudine, sopore, desidia conficiunt; ita etiam infra stratis segnibus v. 18, qvia segnitiem inspirant.

v. 15. Paulo ante. Vat. un. nova ante.

v. 21. Coruscis flatibus. Chamillardo suspicio est fletibus legendum esse, qvod matutini roris guttas denotaret: videtur autem Prudentius auroram exhibere velle lucem ore spirantem, qvam cælo spargat.

Est forma mortis perpetis:
Peccata, ceu nox horrida,
Cogunt jacere æc stertere.
Sed vox ab alto culmine
Christi docentis præmonet;
Adesse jam lucem prope,
Ne mens sopori serviat.
Ne somnus usqve ad terminos
Vitæ socordis opprimat
Pectus sepultum crimine,
Et lucis oblitum suæ.
Ferunt vagantes dæmones,
Lætos tenebris noctium,
Gallo canente exterritos
Sparsim timere et cedere.
Invisa jam vicinitas
Lucis, salutis, numinis,
Rupto tenebrarum situ
Noctis fugat satellites.
Hoc esse signum præscii
Norunt repromissæ spei,
Qva nos soporis liberi
Speramus adventum dei.

v. 29. Ab alto culmine. E cælo, adludens ad aves, qvæ a tecti culmine monent diem adesse.

v. 34. Vitæ socordis. Vat. unus. mentes socordes.

v. 36. Lucis suæ Christi.

v. 43. Rapto tenebrarum situ. Situs metonymice accipitur pro lauugine, qvo res humore corruptæ obducantur, atqve ita noctis tenebras expressit poeta, qvod iis dæmones obvelentur qvodammodo et oblegantur.

Qvæ vis sit hujus alitis,
Salvator ostendit Petro,
Ter ante qvam gallus canat,
Se se negandum prædicans.
Fit namqve peccatum prius
Qvam præco lucis proximæ
Inlustret humanum genus,
Finemqve peccandi ferat.
Flevit negator deniqve
Ex ore prolapsum nefas:
Qvum mens maneret innocens,
Animusqve servaret fidem.
Nec tale qvidqvam postea
Lingvæ locutus lubrico est,
Cantuqve galli cognito
Peccare justus destitit.
Inde est, qvod omnes credimus;
Illo qvietis tempore
Qvo gallus exsultans canit,
Christum redisse ex inferis.
Tunc mortis opressus vigor,
Tunc lex subacta est Tartari,
Tunc vis diei fortior
Noctem coegit cedere.

v. 54. Præco lucis proximæ. Sensus est. Petrus et qvilibet homo est peccator priusqvam præco lucis Christus eum illuminet.

v. 61. Lingvæ locutus lubrico. Ita Heinsius et ante eum Weitzius, qvibus accedunt Vaticani præstantiores.

v. 69. Vigor. Nonnulli rigor malebant, sed vigor habent Vaticani vetustiores.

Jam jam qviescunt improba,
Jam culpa furva obdormiat,
Jam noxa letalis suum
Perpessa somnum marceat.

Vigil vicissim spiritus,
Qvodcumqve restat temporis,
Dum meta noctis clauditur,
Stans et laborans excubet.

Jesum ciamus vocibus,
Flentes, precantes, sobrii:
Intenta supplicatio
Dormire cor mundum vetat.

Sat convolutis artubus
Sensum profunda oblivio
Pressit, gravavit, obruit
Vanis vagantem somniis:

Sunt nempe falsa et frivola,
Qvæ mundiali gloria,
Ceu dormientes, egimus:
Vigelimus: hic est veritas.

Aurum voluptas, gaudium,
Opes, honores, prospera,
Qvæcumqve nos inflant mala,
Fit mane, nil sunt omnia.

Tu Christe somnum disjice,
Tu rumpe noctis vincula,
Tu solve peccatum vetus,
Novumqve lumen ingere.

v. 96. Fit mane. Intus in corde, Christi luce perfusa.

II.

Hymnus matutinus.

Depulsis noctis tenebris, ac die jam effulgente, qvæ luce sua omnia detegit, Christum orat, ut lumine suo cordis nostri tenebras penetret ac dissipet, qvo pura mente et pio cantu diem auspicantes, totam inoffenso pede traducamus.

Jambic. Qvartemar.

In Breviar. Roman. Feria qvarta de tempore, ad Laudes.

Nox, et tenebræ et nubila,
Confusa mundi et turbida,
Lux intrat, albescit polus,
Christus venit discedite.

Caligo terræ scinditur
Percussa solis spiculo,
Rebusqve jam color redit
Vultu nitentis sideris.

Sic nostra mox obscuritas,
Fraudisqve pectus conscium,
Ruptis retectum nubibus,
Regnante pallescet deo.

Tunc non licebit claudere,
Qvod qvisqve fuscum cogitat,
Sed mane clarescent novo
Secreta mentis prodita.

Fur ante lucem sqvalido
Impune peccat tempore;
Sed lux dolis contraria
Latere furtum non sinit.

v. 12. Pallescet. Vaticani tres, pallescit.

Versuta fraus et callida
Amat tenebris obtegi,
Aptamqve noctem turpibus
Adultor occultus fovet.
Sol ecce surgit igneus:
Piget, pudescit, poenitet,
Nec teste qvisqvam lumine
Peccare constanter potest.
Qvis mane sumtis neqviter
Non erubescit poculis;
Qvum fit libido temperans
Castumqve nugator sapit?
Nunc nunc severum vivitur,
Nunc nemo tentat ludicrum,
Inepta nunc omnes sua
Vulta colorant serio.
Hæc hora cunctis utilis,
Qva qvisqve qvod studet, gerat,
Miles, togatus, navita,
Opifex, arator, institor.
Illum forensis gloria,
Hunc triste raptat classicum,
Mercator hinc ac rusticus
Avara suspirant lucra.

v. 33. Severum pro severe, nomen pro adverbio, et ita frequenter.

v. 40. Institor. Proprie non Mercator, ut tamen communiter interpretantur, sed tabernæ præpositus vel aliæ negotiationi, sic dictus, qvod instet negotio gerendo. Ulpian. libr. 3 de Instit. Act.; Horat. Carm. l. 3 Od. 6, v. 30.

At nos lucelli ac foenoris
Fandiqve prorsus nescii,
Ne arte fortes bellica,
Te Christe solum novimus.
Te mente pura et simplici,
Te voce, te cantu pio,
Rogare curvato genu
Flendo et canendo discimus.
His nos lucramur qvæstibus
Hac arte tantum vivimus,
Hæc inchoamus munera,
Qvum sol resurgens emicat.
Intende nostris sensibus,
Vitamqve totam dispice:
Sunt multa fucis inlita,
Qvæ luce purgentur tua.
Durare nos tales jube,
Qvales remotis sordibus,
Nitere pridem jusseras
Jordane tinctos flumine.

v. 51. Curvato genu. Hoc de iis precibus intelligendum est, qvas diebus profestis fideles offerebant, non die Dominico, ubi preces suas qvascumqve fundebant erecti stantes. Vid. Joseph Bingham Orig. Eccles. Tom. V. p. 260, et Cotelerii Not. in libr. 2 Constit. Apostolic. c. 59; Conf. præterea ad h. l. Hymn. Clementis, qvem Celebr. Münter germanica lingva metrice reddidit in libro, qvi inscribitur. — Die Offenbarung Johannis, Copenhag. 1806.

v. 58 Dispice. Vat. unus, Ionius ac Weitzius despice.

v. 64. Jordane tinctos flumine. Nempe baptismo. Jordanem noster memorat, qvoniam magno semper in honore apud veteres Christianos flumen illud fuit, ac diu post Eusebii

Qvodcunqve nox mundi dehinc
Infecit atris nubibus,
Tu rex eoi sideris,
Vultu sereno inlumina.
Tu sancte, qvi tetram picem
Candore tingvis lacteo,
Ebenoqve chrystallum facis;
Delicta terge livida.
Sub nocte Jacob cærula,
Luctator audax angeli,
Eo usqve dum lux surgeret,
Sudavit impar prælium.

et Hieronymi ætatem perdurasse consvetudinem in præcipuis anni solemnitatibus administrandi baptismum in Jordane testatur Hem. Valesius in Adnot. ad libr. 4 ejusdem Eusebii de vita Constantini M. Qvin sumta qvandoque ex ipso Jordane aqva, et alio translata, pueros, magnatum præsertim, catholico ritu expiatos fuisse ostendit Franc. Victorius in Dissertat. De nummo aerio vet. Christianor. Romæ edit 1757.

v. 70. Tingvis pro tingis more vet. ut infra urgvet pro urget. Freqventissimus est hujus vocabuli usus apud scriptores ecclesiasticos pro baptizare: ita Lactantius inqvit de Christo: tinctus ab Joanne Tertulianus: (contr. Marcion. 1, 29) non tingitur apud illum caro, nisi virgo, nisi vidua, nisi cælebs etc. et (C IV. 1) de Deo Marcionis, qvod neminem tinxerit, nisi cælebem et spadonem, et qvod baptismum morti vel repudio servet: item (in præscriptionibus hæreticorum Cap. 41 edit. Semleri Vol II p. 54) ipsæ mulieres hæreticæ qvam procaces, qvæ audeant docere, contendere, exorcismos agere, curationes repromittere, forsan et tingere. Idem de Baptismo cap. 17 p. 205 Tom. IV. edit. Semler. Petulantia mulieris, qvæ usurpavit docere utiqve, non etiam tingendi jus sibi pariet etc.

v. 76. Sudavit impar prælium. Ita Vatic. antiqviores alii atqve etiam edit. nonnullæ, prælio, qvod merito rejicit Heinsius.

Sed qvum jubar claresceret,
Lapsante claudus poplite,
Femurqve victus debile
Culpæ vigorem perdidit.

Nutabat ingven saucium,
Qvæ corporis pars vilior,
Longeqve sub cordis loco
Diram fovet libidinem.

Hæ nos docent imagines
Hominem tenebris obsitum,
Si forte non cedat deo,
Vires rebelles perdere.

Erit tamen beatior,
Intemperans membrum cui
Luctando claudum et labidum
Dies oborta invenerit.

Tandem facessat cæcitas,
Qvæ nosmet in præceps diu
Lapsos sinistris gressibus
Errore traxit devio.

Hæc lux serenum conferat,
Purosqve nos præstet sibi,
Nihil loqvamur subdolum,
Volvamus obscurum nihil.

Sic tota decurrat dies,
Ne lingva mendax, ne manus,

v. 85. **Hæ nos docent imagines.** Sensus Poetæ videtur esse, qvod sicut Jacob, qvoadusqve duravit nox, restitit angelo, ac tunc solum ce sit, qvum orta lux est, ita nos tamdiu concupiscentiis nostris, in Jacobi femore adumbratis adversus deum militamus, donec Christus, qvi verus dies est, et vera lux, oriatur in cordibus nostris.

Oculive peccent lubrici,
Ne noxa corpus inqvinet.
Speculator adstat desuper,
Qvi nos diebus omnibus,
Actusqve nostros prospicit
A luce prima in vesperum.
Hic testis, hic est arbiter,
Hic intuetur qvidqvid est,
Humana qvod mens concipit,
Hunc nemo fallit judicem.

III.

Hymnus ante cibum.

Hortatur se ipsum poeta ad cibi parsimoniam et sobriam cænam, qvam describit.

Vers. Dactyclic.

O crucifer bone, lucisator
Omnipotens, pie, verbigena,

v. 2. Verbigena λογος ενδιαθετος et προφορικος. Nonnulli patres antiqvi (Antenicæni scil. nam duplex λογȣ generatio cum Nicæna fide pugnat. Conf. Celebrr. Münter Haandbog i den ældste christelige Kirkes Dogmehistorie, Tom. 1 p. 380 seqv.) duplicem Filii generationem ante conditas creaturas distinxerunt: prima est, qvum Pater Verbum genuit intelligendo seipsum, qvam generationem constat sempiternam esse, qvum Deus fuerit semper Pater ac Rationalis; altera, qvando Verbo virvirtutis suæ mundum condidit, tunc enim in creaturarum productione apparuit Dei Sapientiâ ac Potentia, qvæ ab æterno erat in sinu Patris; hanc prostremam a Prudentio fuisse intellectam, at sine ullo veræ propriæ ac sempiternæ generationis præjudicio Arevali arbitratur.

Edite corpore virgineo,
Sed prius in genitore potens;
Astra, solum, mare, qvam fierent.
Huc nitido precor intuitu.
Flecte salutiferam faciem
Fronte serenus et inradia,
Nominis ut sub honore tui
Has epulas liceat capere.
Te sine dulce nihil, Domine,
Nec juvat ore qvid appetere,
Pocula ni prius, atqve cibos,
Christe tuus favor imbuerit,
Omnia sanctificante fide.
Fercula nostra deum sapiant,
Christus et influat in pateras:
Seria, ludicra, verba, jocos,
Deniqve qvod sumus, aut agimus,
Trina superne regat pietas.
Hic mihi nulla rosæ spolia,
Nullus aromate fragrat odor,
Sed liqvor influit ambrosius,
Nectareamqve fidem redolet
Fusus ab usqve Patris gremio.
Sperne, Camöena leves hederas,
Cingere tempora qvîs solita est,

v. 2. Potens. Vat. unus. manens.

v. 20. Trina superne regat pietas ɔ: sancta Trinitas. Edd. superna habebant ante Heins., qvi superne reposuit ex Mss, probavitqve hujusmodi Adverbium, aliaqve similia syllabam postremam corripere. Codd. Vatic. utramqve exhibent lectionem.

Sertaqve mystica dactylico
Texere docta liga strophio,
Laude dei redimita comas.
Qvod generosa potest anima,
Lucis et ætheris indigena,
Solvere dignius obseqvium,
Qvam data munera si recinat
Artificem modulata suum?
Ipse homini qvia cuncta dedit,
Qvæ capimus dominante manu,
Qvæ polus, aut humus, aut pelagus,
Aëre, gurgite, rure crearit,
Hæc mihi subdidit, et sibi me.
Callidus inlaqveat volucres
Aut pedicis dolus aut maculis,
Inlita glutine corticeo
Vimina plumigeram seriem
Impediunt et abire vetant.
Ecce per æqvora fluctivagos
Texta greges sinuosa trahunt,
Piscis item seqvitur calamum.
Raptus acumine vulnifico,
Credula saucius ora cibo.
Fundit opes ager ingenuas,
Dives aristiferæ segetis,
Hic ubi vitea pampineo
Brachia palmite luxuriant,
Pacis alumna ubi bacca viret.

v. 28. Dactylico liga strophio etc. ordo est. tu, o Musa, docta texere serta mystica ex sacris literis contexta, redimita laude dei ɔ: ornata et instructa rebus divinis, cinge caput dactylico carmine, tanqvam corona.

Hæc opulentia Christicolis
Servit, et omnia suppeditat,
Absit enim procul illa fames,
Cædibus ut pecudum libeat
Sangvineas lacerare dapes.
Sint fera gentibus indomitis
Prandia, de nece qvadrupedum,
Nos oleris coma, nos siliqva
Foeta legumine multimodo
Paverit innocuis epnlis.
Spumea mulctra gerunt niveos
Ubere de gemino latices
Perqve coagula densa liqvor
In solidum coit, et fragili
Lac tenerum premitur calatho.
Mella recens mihi Cecropia
Nectare sudat olente favus,
Hæc opifex apis aërio
Rore liqvat, tenuiqve thymo,
Nexilis inscia connubii.
Hinc qvoqve pomiferi nemoris
Munera mitia proveniunt:
Arbor onus tremefacta suum
Deciduo gravis imbre pluit,
Puniceosqve jacit cumulos.
Qvæ veterum tuba, qvæve lyra
Flatibus inclita, vel fidibus,
Divitis omnipotentis opus,

v. 71. Mel Hymettinm. Hymetti montis prope Athenas per omnem antiqvitatem et nostro adhuc tempore celeberrimum. Horat. 2, 6, 14.

Qvæqve fruenda patent homini,
Laudibus æqviparare qveat?
  Te pater, optime mane novo,
Solis et orbita, qvum media est,
Te qvoqve luce sub occidua
Sumere qvum monet hora cibum
Nostra Deus canet harmonia.
  Qvod calet halitus interior,
Corde qvod abdita vena tremit,
Pulsat et incita qvod resonam
Lingva sub ore latens caveam,
Laus superi Patris esto mihi.
  Nos igitur tua, sancte, manus
Cæspite composuit madido,
Effigiem madidata suam,
Utqve foret rata materies
Flavit et indidit ore animam!
  Tunc per amoena vireta jubet
Frondicomis habitare locis,
Ver ubi perpetuum redolet.
Prataqve multicolora latex
Qvadrifluo celer amne rigat.
  Hæc tibi nunc famulentur, ait,
Usibus omnia dedo tuis,
Sed tamen aspera mortifero
Stipite carpere poma veto,
Qvi medio viret in nemore.
  Hic draco perfidus indocile
Virginis inlicit ingenium
Ut socium malesvada virum
Mandere cogeret ex vetitis
Ipsa pari peritura modo.

Corpora mutua (nosse nefas)
Post epulas inoperta vident,
Lubricus error et erubuit,
Tegmina suta parant foliis
Dedecus ut pudor occuleret.
Conscia culpa deum pavitans
Sede pia procul exigitur,
Innuba foemina qvæ fuerat,
Conjugis excipit imperium,
Foedera tristia jussa pati.
Auctor et ipse doli coluber
Plectitur improbus, ut mulier
Colla trilingvia calce terat;
Sic coluber muliebre solum
Suspicit atqve virum mulier,
His ducibus vitiosa dehinc
Posteritas ruit in facinus;
Dumqve rudes imitatur avos,
Fasqve nefasqve simul glomerans,
Impia crimina morte luit.
Ecce venit nova progenies,
Æthere proditus alter homo
Non luteus velut ille prius,
Sed deus ipse gerens hominem,
Corporeisqve carens vitiis.

v. 139. Gerens hominem. Conf. Symbolum Chalcedonence et Leonis M. Epistol. ad Flavianum de incarnatione verbi S. Epistol. XXVIII edit. Ballerin. cur. Henke, Helmstadt 1781, 4to; Rössler X, 176 et J. J. Griesbach. Dissertatio historico-theologica locos theologicos collectos ex Leone Magno pontifice Romano sistens. Sectio III. complex doctrinam de Christo §§. 14-20 p. 31-93. Halæ Magdeburgicæ 1768.

Fit caro vivida sermo petris,
Numine qvam rutilante gravis
Non thalamo, neqve jure thori,
Nec genialibus illecebris
Intemerata puella parit.
Hoc odium vetus illud erat,
Hoc erat aspidis atqve hominis
Digladiabile discidium
Qvod modo cornua foemineis
Vipera proteritur pedibus.
Edere namqve deum merita
Omnia virgo venena domat:
Tractibus angvis inexplicitis
Virus inerme piger revomit,
Gramine concolor in viridi.
Qvæ feritas modo non trepidat
Territa de grege candidillo?
Impavidus lupus inter oves
Tristis obambulat, et rabidum
Sangvinis immemor, os cohibet.
Agnus enim vice mirifica
Ecce leonibus imperitat,
Exagitansqve truces aqvilas
Per vaga nubila, perqve Notos,
Sidere lapsa columba fugat.
Tu mihi, Christe, columba potens,
Sangvine pasta cui cedit avis,

v. 167. Sangvine pasta avis. Aqvila, mystice Diabolus. Cui monosyll. contra legem corripitur. Not. Comparatio diaboli cum aquila est nostri propria; appellatur a Sedulio tentator, præsumptor; ab Alcimo subversor, transgressor, incentor, lethi compertor; a Victore

Tu niveus per ovile tuum
Agnus hiare lupum prohibes,
Sub juga tigridis ora premens
Da locuples deus, hoc famulis
Rite precantibus, ut tenui
Membra cibo recreata levent,
Neu piger immodicis dapibus
Viscera tanta gravet stomachus.
Haustus amarus abesto procul,
Ne libeat tetigisse manu
Exitiale qvid aut vetitum,
Gustus et ipse modum teneat,
Sospitet ut jecur incolume.

auctor scelerum, et inventor lethi; a Prospero sator mortis, a Fortunato proditor; a Gregorio M. sæpius cum Leviathano comparatur; et cum ab Irenæi (Advers. Gnosticos lib. V cap 1 et 20 edit. Massuet p. 292 et 319) et magis adhuc ab Origenis (in Mathæum, edit Ruæi, Vol. III. pag. 726, cf Homil. VI. in Exod. Vol. II. pag. 150) tempore Mors Christi in cruce haud raro λυτρον diceretur diabolo pro redimendis hominibus oblatum, licet irrita spe, qva sibi blandiebatur de sanctissima Christi anima, qvam mere humanam putaret, in inferis retinenda, facile eo adduci potuerunt, ut hanc Jesu Christi cruentam mortem veluti escam, qva deceptus esset dæmon, piæ meditationi proponerent: rem apertis verris declaravit Gregorius Magnus Romanus Episcopus de Leviathano ita disserens (Homil 25 in Iobum ad cap. 40) in hamo escam ostendi, aculeum occultari, atqve in hamo incarnationis Jesu Christi captum esse Diabolum, qvia dum in illo appetivit escam corporis, transfixus est aculeo divinitatis, cumqve mortales, qvos tenebat, jure perdidisse, qvia eum, in qvo jus non haberet, morte appetere immortalem præsumsit. Vid. Celebrr. Münteri Epist de duobus monumentis veteris ecclesiæ ad I. A. Lindblom. Havniæ 1810.

Sit satis angvibus horificis
Liba qvod impia corporibus
Ah! miseram peperere necem;
Sufficiat semel ob facinus
Plasma dei potuisse mori.
Oris opus, vigor igneolus
Non moritur, qvia flante deo
Compositus, superoqve fluens
De solio patris artificis
Vim liqvidæ rationis habet.
Viscera mortua qvin etiam
Post obitum reparare datur,
Eqve suis iterum tumulis
Prisca renascitur effigies,
Pulvereo coeunte situ.
Credo eqvidem, neqve vana fides,
Corpora vivere more animæ,
Nam modo corporeum memini
De Phlegethonte gradu facili
Ad superos remeasse deum.
Spes eadem mea membra manet,
Qvæ redolentia funereo
Justa qviescere sarcophago,
Dux parili redivivus humo
Ignea Christus ad astra vocat.

v. 185. Plasma, πλάσμα, fictio, seu (ut nostri poetæ) factura. Accipitur etiam pro callida et fallaci impostura; Prosper contra Ingratos.

Innummeras dubio cepis et plasmate mentes. Vid. Fabric.

v. 197. Corpora vivere. Victura esse. Enallage.

v. 199. Facilis descensus Averni. Virgil. Æn. 6, 126.

v. 203. Sarcophagus, σαρκοφάγος pro sepulchro, in qvo corpus putrescit, et consumitur. Fabric.

IV.

Hymnus post cibum.

Grates deo reddit pro cibo sumpto, cujus in homines bonitatem commendat historia Danielis, qvem in specu leonum jussu dei Habacuc pavit, eamqve ad mores traducit.

Vers. Hendecasyllab. Phalæc.

Pastis visceribus ciboqve sumpto,
Qvem lex corporis imbecilla poscit,
Laudem lingva deo patri rependat:
Patri, qvi Cherubin sedile sacrum,
Nec non et Seraphin suum, supremo
Subnixus solio, tenet regitqve
Hic est, qvem Zebaoth deum vocamus,
Expers principii, carensqve fine,
Rerum conditor, et repertor orbis.
Fons vitæ liqvida fluens ab arce,
Infusor fidei, sator pudoris,
Mortis perdomitor, salutis auctor.
Omnes qvod sumus ac vigemus, inde est;
Regnat spiritus ille sempiternus
A Christo simul et Parente missus.
Intrat pectora candidus pudica
Qvæ templi vice consecrata rident,
Postqvam combiberint deum medullis,
Sed si qvid vitii dolive nasci
Inter viscera jam dicata sensit,
Ceu spurcum refugit celer sacellum.

v. 13. Omnes. Weitz. omne, cui favet. Vat. unus: ceteri cum Heins. omnes.

Tetrum flagrat enim vapore crasso
Horror conscius æstuante culpa,
Offensumqve bonum niger repellit.

Nec solus pudor, innocensve votum
Templum constituunt perenne Christo
In cordis medii sinu ac recessu,

Sed, ne crapula ferveat, cavendum est,
Qvæ sedem fidei cibis refertam
Usqve ad congeriem coarctet intus.

Parcis victibus expedita corda
Infusum melius deum receptant,
Hic pastus animæ est, saporqve verus.

Sed nos tu gemino fovens paratu,
Artus atqve animas utroqve pastu
Confirmas, Pater, ac vigore comples.

Sic olim tua præcluens potestas
Inter raucisonos situm leones
Inlapsis dapibus virum refovit.

Illum fusile numen execrantem
Et curvare caput sub expolita
Æris materia nefas putantem,

Plebs diræ Babylonis ac tyrannus
Morti subdiderant, feris dicarant
Sævis protinus haustibus vorandum.

O semper pietas fidesqve tuta!
Lambent indomiti virum leones
Intactumqve dei tremunt alumnum.

v. 22. Flagrat. Alii Codd. non minus antiqvi: fragrat, qvod indicio est utrumqve Veteres usurpasse.

v. 37. Præcluens. Clara, pollens.

Adstant comminus et jubas reponunt
Mansvescit rabies, fameqve blanda
Prædam rictibus ambit incruentis;
Sed qvum tenderet ad superna palmas,
Expertumqve sibi deum rogaret,
Clausus jugiter indigensqve victu,
Jussus nuntius advolare terris
Qvi pastum famulo daret probato,
Raptim desilit obseqvente mundo;
Cernit forte procul dapes inemtas,
Qvas messoribus Habacuc propheta
Agresti bonus exhibebat arte.
Hujus cæsarie manu prehensa
Plenis, sicut erat, gravem canistris
Suspensum rapit et vehit per auras.
Tum raptus simul ipse prandiumqve
Sensim labitur in lucum leonum,
Et qvas tunc epulas gerebat, offert.
Sumas lætus, ait libensqve carpas,
Qvæ summus Pater, angelusqve Christi
Mittunt liba tibi sub hoc periclo.
His sumtis Danielus excitavit
In cælum faciem, ciboqve fortis
Amen reddidit, alleluja dixit.
Sic nos muneribus tuis refecti,
Largitor deus omnium bonorum,
Grates reddimus, et sacramus hymnos.
Tu nos tristifico velut tyranno,
Mundi scilicet impotentis actu

v. 57. Obseqvente mundo. Liberam præbens viam.

v. 59. Habacuc. Heins. prætulit Abacum, quod in plerisqve Græcæ versionis Edd. vox desinat in M. Αμβακουμ.

Conclusos, regis et feram repellis;
Qvæ cirumfremit, ac vorare tentat,
Insanos acuens furore dentes;
Cur te summe deus precemur unum:
Vexamur, premimur, malis rotamur;
Oderunt, lacerant, trahunt, lacessunt;
Juncta est supplicis fides iniqvis
Nec desit tamen anxiis medela,
Nam langvente truci leonis ira,
Inlapsæ superingeruntur escæ.
Qvas si qvis sitienter hauriendo,
Non gustu tenui, sed ore pleno,
Internis velit implicare venis.
Hic sancto satiatus ex propheta,
Justorum capiet cibos virorum,
Qvi fructum domino metunt perenni.
Nil est dulcius ac magis saporum,
Nil qvod plus hominem juvare possit,
Qvam vatis pia præcinentis orsa.
His sumtis licet insolens potestas
Pravum judicet, inrogetqve mortem:
Impasti licet irruant leones.
Nos semper dominum patrem fatentes
In te Christe Deus, loqvemur unum,
Constanterqve tuam crucem feremus.

V.

Hymnus ad incensum lucernæ *).

In hoc hymno, qvi in principio noctis, qvum lumina accenduntur, cantari debet, ignis ac luminis

v. 96. Pia orsa. Verba divina.

*) Ad incensum lucernæ. Ita Vaticani probatiores. Editi pleriqve. Ad incensum Cerei Paschalis; priorem autem

laudes altius repetiturus in latissimum narrationis campum suo more abripitur poeta, qva pleraqve omnia, qvæ Judæis Ægypto eductis portentose accidebant, breviter complexus ac mystica, ut solet, expositione concludens, instituta luminum encomia proseqvitur usqve ad fidem.

Vers. Choriambic. tetrametr. acatalect.

Inventor rutili dux bone luminis,
Qvi certis vicibus tempora dividis,
Merso sole chaos ingruit horridum,
Lucem redde tuis, Christe fidelibus.
Qvamvis innumero sidere regiam,
Lunariqve polum lampade pinxeris,
Incussu silicis lumina nos tamen
Monstras saxigeno semine qværere.
Ne nesciret homo spem sibi luminis
In Christi solido corpore conditam,

titulum præferunt Weitz. Heins. Cellar etc. et merito, nam præter Mss. Codd. auctoritatem id certe svadet hujus libri Cathemerinon ordo, ut qvintus hic hymnus intelligendus sit de vesperis, in qvibus solemni more in dies accendi lucernas Prudentii ævo mos erat.

v. 9. Ante hunc versum in Edit. Fabricii et Sichardi inserti reperiuntur alii qvatuor versus, qvos, cum probatioris fidei Codd. non habeant, exulare jussit Heinsius. Hi autem tales erant:

Hoc signas opere conditor inclyte
Lumen veridicum mentibus omnium
In Christo domino qværere jugiter
Qvem petram loqvitur doctor egregius.

Sane, si hoc Tetrastichon conferas cum vulgato, qvod a. v. 9 videbis ad sensum qvod attinet, prorsus convenire. Fieri itaqve potuit, ut Prudentius in prima sui Operis evulgatione ita scripserit, ac postea emendaverit, ut habent membranæ præstantiores.

Qvi dici stabilem se voluit petram,
Nostris igniculis unde genus venit.

Pingvis qvos dei rore madentibus
Lychnis aut facibus pascimus aridis:
Qvin et fila favis scirpea floreis
Presso melle prius conlita fingimus.

Vivax flamma viget, ceu cava testula
Succum linteolo suggerit ebrio,
Seu pinus piceam fert alimoniam
Seu ceram teretem stuppa calens bibit.

Nectar de liqvido vertice fervidum
Guttatim lacrimis stillat olentibus,
Ambustum qvoniam vis facit ignea
Imbrem de madido flere cacumine.

Splendent ergo tuis muneribus, Pater,
Flammis mobilibus scilicet atria.
Absentemqve diem lux agit æmula,
Qvam nox cum lacero victa fugit peplo.

Sed qvis non rapidi luminis arduam
Manantemqve deo cernat originem?
Moses nempe deum spinifera in rubo
Videt conspicuo lumine flammeum.

Felix qvi meruit sentibus in sacris
Cælestis solii visere principem,
Jussus nexa pedum vincula solvere,
Ne sanctum involucris pollueret locum.

Hunc ignem populus sangvinis incliti
Majorum meritis tutus et impotens,

v. 18. Ebrio, madefacto deo.

v. 36. Involucris. Calceamentis. Penultima contra legem correpta.

Svetus sub dominis vivere barbaris,
Jam liber seqvitur longa per avia.
Qva gressum tulerant, castraqve cærulæ
Noctis per medium consita moverant,
Plebem pervigilem fulgure prævio
Ducebat radius sole micantior.
Sed rex Niliaci litoris, invido
Fervens felle, jubet prævalidam manum
In bellum rapidis ire cohortibus,
Ferratasqve acies clangere classicum.
Sumunt arma viri, seqve minacibus
Accingunt gladiis: triste canit tuba,
Hic fidit jaculis, ille volantia
Præfigit calamis spicula Gnosiis.
Densatur cuneis turba pedestribus,
Currus pars, et eqvos et volucres rotas
Conscendunt celeres, signaqve bellica
Prætendunt tumidis clara draconibus.

v. 52. Calamis Gnosiis. Gnossos et Gnoses Straboni urbs Cretæ, in numis et marmoribus ΚΝΩΣΙΟΙ Conf. Chishullum, Chandlerum et Echel. Doctr. Numor Veterum II. p. 308. Gnosius autem calamus sagittis aptissimus, et cretenses nociles erant sagittarii. Horat. Od. 1 libr. 1.

Neqviqvam calami spicula Gnosii vitabis.

v. 56. Clara tumidis draconibus. Forte Ægyptiorum vexilla ut Persarum et Romanorum saltem posterioribus temporibus dracones pictos et intextos habebant; vel potius loqvitur Prudentius Romano more, qvo dracones ipsa etiam vexilla dicebantur. Vegetius lib. II. c. 15. Dracones per singulas cohortes a draconariis feruntur ad prælium. Ejusmodi draconum vexilla tum primum coepisse deferri apud Romanos tradunt postqvam Trajanus Dacos devicit, qvi signis ejusmodi utebantur in bellis.

Hic jam servitii nescia pristini
Gens Pelusiacis usta vaporibus,
Tandem pupurei gurgitis hospita
Rubris litoribus fessa resederat.
Hostis dirus adest cum duce perfido,
Infert et validis prælia viribus,
Moses porro suos in mare præcipit
Constans intrepidis tendere gressibus
Præbent rupta locum stagna viantibus
Riparum in faciem pervia, sistitur
Circumstans vitreis unda liqvoribus,
Dum plebs sub bifido permeat æqvore;
Pubes qvin etiam decolor asperis
Inritata odiis, rege sub impio,
Hebræum sitiens fundere sangvinem,
Audet se pelago credere concavo;
Ibant præcipiti turbine percita
Fluctus per medios agmina regia,
Sed confussa dehinc unda revolvitur
In sermet revolans gurgite confluo.
Currus tunc, et æqvos telaqve naufragia,
Ipsos et proceres, et vaga corpora
Nigrorumq; videas nare satellitum,
Arcis justitium triste tyrannicæ.
Qvæ tandem poterit lingva retexere
Laudes, Christe, tuas? qvi domitam Pharon

v. 58. Peluciacis. Ægyptiis. Nam Pelusium Ægypti urbs est Orientali. Nili ostio apposita.

v. 76. Confluo. Vat. duo. refluo.

v. 80. Justitium. Unius Vat. Cod. Glossator. justitium proprie est juris statio, ponitur autem pro luctu.

Plagis multimodis cedere præsuli
Cogis justitiæ, vindice dextera.
Qvi pontum rapidis æstibus invium
Persultare vetas, ut refluo in salo
Securus pateat, te duce, transitus,
Et mox unda rapax, ut voret impios.
Cui jejuna eremi saxa loqvacibus
Exundant scatebris, et latices novos
Fundit scissa silex, qvæ sitientibus
Dat potum populis axe sub igneo.
Instar fellis aqva tristifico in lacu
Fit ligni venia mel velut Atticum;
Lignum est, qvo sapiunt, aspera dulcius,
Nam præfixa cruci spes hominum viget.
Implet castra cibus tunc qvoqve ningvidus
Inlabens gelida grandine densius,
His mensas epulis, hac dape construunt,
Qvam dat sidereo Christus ab æthere.
Nec non imbrifero ventus anhelitu
Crassa nube leves invehit alites,
Qvæ difflata in humum qvum semel agmina
Fluxerunt reduci non revolant fuga.
Hæc olim patribus præmia contulit
Insignis pietas Numinis unici,
Cujus subsidio nos qvoqve vescimur,
Pascentes dapibus pectora mysticis.
Fessos ille vocat per freta sæculi
Discissis populum turbinibus regens,

v. 83. Præsuli justitiæ. Moysi.

v. 89. Eremi. Syllaba media contra legem correpta.

Jactatasqve animas mille laboribus
Justorum in patriam scandere præcipit.
Illic purpureis tecta rosariis
Omnis fragrat humus, Calthaqve pingvia
Et molles violas, et tenues crocos
Fundit fonticulis uda fugacibus.
Illic et gracili balsama surculo
Desudata fluunt, raraqve cinnama
Spirant et folium, fonte qvod abdito
Prælambens fluvius portat in exitum.
Felices animæ prata per herbida
Concentu parili svave sonantibus
Hymnorum modulis dulce canunt melos,
Calcant et pedibus lilia candidis.
Sunt et spiritibus sæpe nocentibus
Poenarum celebres sub styge feriæ
Illa nocte, sacer qva rediit deus
Stagnis ad superos ex Acheronticis:

v. 114. Caltha. Virg. Bucol. 2, 50. Mollia luteola pingit vaccinia caltha. Chalta est buphthalmos, cujus luteus est flos, crocei coloris, Dan. Morgenfroe, Kabeleie, germanic. Ringelblume. Neminem veterum hoc vocabulum neutro genere declinassé observavit Chamillardus.

v. 116. Uda. Refer ad humum. Edd. Giselini, Veitzii etc. habent: unda, qvam lectionem non prorsus improbandam qvoqve exhibent Vatican. Codd. bene multi.

v. 123. Sunt et spiritibus etc. Hæc Giselinus poeticæ licentiæ tribuit; Joseph. Binghamus serio atqve ex animo poetam dixisse contendit. Fuerunt sane Augustini ætate Christiani, qvi in hac erant opinione, ut manente sine fine morte perpetua damnatorum, aliqva relevatio vel intermissio fieret dolorum atque poenarum.

Non sicut tenebras de face fulgida
Surgens oceano Lucifer imbuit,
Sed terris Domini de cruce tristibus
Major sole novum restituens diem
Marcent suppliciis Tartara mitibus
Exsultatqve sui carceris otio
Umbrarum populus liber ab ignibus,
Nec fervent solito flumina sulphure.
Nos festis trahimus per pia gaudia
Noctem conciliis, votaqve prospera
Certatim vigili congerimus prece,
Extructoqve agimus liba sacrario.
Pendent mobilibus lumina funibus,
Qvæ suffixia micant per laqvearia,
Et de langvidulis fota natatibus
Lucem perspicuo flamma jacit vitro
Credas stelligeram desuper aream
Ornatam geminis stare trionibus,
Et qva Bosporeum temo regit jugum
Passim purpureos spargier Hesperos.
O res digna, pater, qvam tibi roscidæ
Noctis principio, grex tuus offerat,
Lucem qva tribuis nil pretiosius
Lucem, qva reliqva præmia cernimus.

v. 138. Noctem. Paschæ resurrectionis Christi.

v. 140. Extructoqve agimus liba sacrario. Sacrificium offerimus Eucharisticum.

v. 146. Geminis Trionibus. Ursa major et minor, qvarum stellæ, qvum plaustrum et boves junctos referant, ideo subdit: temo regit jugum Bosporeum, sic gr. sine aspiratione, a Bosporo Cimmerio.

v. 151 Lucem pro lux. Ellenismus.

Tu lux vera oculis, lux qvoqve sensibus,
Intus tu speculum, tu speculum foris
Lumen, qvod famulans offero suscipe,
Tinctum pacifici chrismatis ungvine.
Per Christum genitum, summe Pater, tuum,
In qvo visibilis stat tibi gloria,
Qvi noster dominus, qvi tuus unicus
Spirat de patrio corde Paraclitum,
Per qvem splendor, honos, laus, sapientia,
Majestas bonitas, et pietas tua
Regnum continuet numine triplici,
Texens perpetuis sæcula sæculis.

VI.

Hymnus ante somnum.

Qvum in somno, qvi hominibus a Deo datus est ad reparandas corporis et animi vires, multa contingant partim bonesta, partim turpia, petit in hoc hymno pius poeta, ut placidam qvietem Deus sibi largiatur, terrores somniorum depellat, ac somnia salutaria immittat, qvalia viris sanctis facta sunt.

Vers. Iambic. dimetr. catalect.

Ades Pater supreme,
Qvem nemo vidit unqvam,
Patrisqve sermo Christe,
Et Spiritus benigne.

v. 156. Pacifici chrismatis ungvine. Oleo ex olivis expresso, qvæ insigne pacis sunt.

v. 163. Numine. Vat. duo. nomine.

O Trinitatis hujus
Vis una, lumen unum,
Deus ex Deo perennis.
Deus ex utroqve missus.
Fluxit labor diei,
Redit et qvietis hora,
Blandus sopor vicissim
Fessos relaxat artus.
Mens æstuans procellis,
Curisqve sauciata
Totis bibit medullis
Obliviale poclum.
Serpit per omne corpus
Lethæa vis, nec ullum
Miseris doloris ægri
Patitur manere sensum.
Lex hæc data est caducis
Deo jubente membris,
Ut temperet laborem
Medicabilis voluptas.
Sed dum pererrat omnes
Qvies amica venas
Pectusqve feriatum
Placat rigante somno,
Liber vagat per auras
Rapido vigore sensus,
Variasqve per figuras,
Qvæ sunt operta cernit.

v. 22. Deo jubente. Vat. unus. Deo donante.

v. 29. Vagat. Sic præstantiores Codd. Vaticani et Heinsiani. Al. vagas, adjectiv.

Qvia mens soluta curis,
Cui est origo cælum
Purusqve fons ab æthra
Iners jacere nescit.

Imitata multiformes
Facies sibi ipsa fingit,
Per qvas repente currens
Tenui fruatur actu.

Sed sensa somniantum
Dispar fatigat horror,
Nunc splendor intererrat,
Qvi dat futura nosse;

Plerumqve dissipatis
Mendax imago veris
Animos pavore mæstos
Ambage fallit atra.

Qvem rara culpa morum
Non polluit freqventer,
Hunc lex serena vibrans
Res edocet latentes.

At qvi coinqvinatum
Vitiis cor impiavit
Lusus pavore multo
Species vidit tremendas.

Hoc patriarcha noster
Sub carceris catena
Geminis simul ministris
Interpres adprobavit,

Qvorum regressus unus
Dat proculum tyranno
Ast alterum rapaces
Fixum vorant volucres.

Ipsum deinde regem
Perplexa somniantem,
Monuit famem futuram
Clausis cavere acervis.
Mox præsul ac tetrarches
Regnum per omne jussus
Sociam tenere virgam
Dominæ resedit aulæ.
O qvam profunda justis
Arcana per soporem
Aperit tuenda Christus?
Qvam clara? qvam tacenda?
Evangelista summi
Fidissimus magistri,
Signata qvæ latebant
Nebulis vidit remotis.
Ipsum Tonantis agnum
De cæde purpurantem,
Qvi conscium futuri
Librum resignat unus.
Hujus manum potentem
Gladius perarmat anceps,
Et fulgurans utrimqve
Duplicem minatur ictum.
Qvæsitor ille solus
Animæqve corporisqve

v. 77. Evangelista. Iohannes. Qvod autem ea viderit in somnis, licentia poetis usitata accipias dictum, uti et infra gladius utraqve parte acutus in manu ponitur, in Apocal. vero in ore ejus, qvi loqvebatur.

Ensisqve bis timendus
Prima ac secunda mors es.
Idem tamen benignus
Ultor retundit iram,
Paucosqve non piorum
Patitur perire in ævum.
Huic inclytus perenne
Tribuit Pater tribunal,
Hunc obtinere jussit
Nomen supra omne nomen.
Hic præpotens cruenti
Exstinctor antichristi
Qvi de furente monstro
Pulchrum refert tropæum.
Qvam bestiam capacem
Populosqve devorantem
Qvam sangvinis Charybdin
Joannis exsecratur.
Hæc nempe, qvæ sacratum
Præferre nomen ausa
Imam petit gehennam
Christo perempta vero.

v. 92. Prima ac secunda mors. Illa est animæ reproborum statim post egressum e corpore in gehenna damnatio; hæc iterata et completa post universale judicium ejusdem animæ una cum corpore inferni poenis affixio.

v. 108. Joannis. Recto casu. Adscivit hanc lectionem Heinsius, qvam in Puteano Codice viderat, ut metro, inqvit, consulatur. Sed qvid prohibet, ut Joannes legatur ultima correpta? Vatic. qvinqve fidei probatis. Joannes.

v. 108. Hæc nempe. Editiones qvædam: hanc nempe, jungendo cum præcedentibus. Utrumqve in Mss. reperitur; planior hæc nostra.

Tali sopore justus
Mentem relaxat heros,
Ut spiritu sagaci
Cælum peragret omne.
Nos nil meremur horum
Qvos creber implet error,
Concreta qvos malarum
Vitiat cupido rerum.
Sat est qviete dulci
Fessum fovere corpus;
Sat si nihil sinistrum
Vanæ minentur umbræ.
Cultor dei memento
Te fontis et lavacri
Rorem subisse sanctum,
Te Chrismate innovatum.
Fac qvum vocante somno
Castum petis cubile,
Frontem locumqve cordis
Crucis figura signet.
Crux pellit omne crimen,
Fugiunt crucem tenebræ;
Tali dicata signo
Mens fluctuare nescit.

v. 128. Innovatum. Vat. duo: innotatum.

v. 132. Crucis figura. A primis ecclesiæ temporibus consvevisse Fideles sacro crucis signo se ipsos freqventer munire testantur Justin. Tertull. Cyprian., aliiqve.

v. 133. Crux pellit omne crimen. Id est Christus cruci adfixus. Signum pro re signata. Forte etiam de crucis signo intelligendum, deqve ejus in dæmones potestate.

Procul, o procul vagantum.
Portenta somniorum,
Procul esto pervicaci
Præstigiator actu.
O tortuose serpens,
Qvi mille per Meandros
Fraudesqve flexuosas
Agitas qvieta corda.
Discede, Christus hic est,
Hic Christus est, liqvesce,
Signum, qvod ipse nosti,
Damnat tuam catervam.
Corpus licet fatiscens
Jaceat recline paullum,
Christum tamen sub ipso
Meditabimur sopore.

v. 140. Præstigiator. Monuit Heins. in Addend. p. 956 se in Egmond: ac duobus Weitz. Cod. legisse præstrigiator, et qvum præstrigiator monente Isidoro lib. 8 c 9 inde dicatur, qvod celeritate manum præstringat oculos, ita, ut miracula fieri videantur, probabile admodum est veteris scripsisse præstrigiator, sed qvum vox ita prolata κακόφωνη esset, omissum deinceps alterum R ob sonum svaviorem. Actu. Ita Membranæ. Giselin. et Weitz. astu.

v. 142. Per Meandros mille. Per multiplices flexus et dolos. Est autem Meandrus Cariæ fluvius, qvi miris flexibus, iisqve retro sæpe curvatis labitur, unde vafra et obliqva consilia Meandra dicuntur.

v. 146. Liqvesce ɔ: evanesce.

v. 150. Recline. Ita libri omnes tam mss. qvam impressi.

VII.

Hymnus Jejunantium*).

Facta invocatione jejunii laudes ingreditur, illustriora ex utroqve Testamento abstinentiæ exempla profert, ad eamqve omnes adhortatur, qvam cum elemosina conjungendam esse docet.

Vers. Jambic. Senar.

O Nazarene, lux Bethlem, verbum Patris,
Qvem partus alvi virginalis protulit,
Adesto castis, Christe, parsimoniis
Festumqve nostrum rex serenus adspice,
Jejuniorum dum litamus victimam. 5.

*) Jejunantium.. Præter Qvadragesimale jejunium, qvod erat omnium maximum ac celeberrimum freqvens apud veteres occurrit mentio de jejunio qvartæ et sextæ Feriæ, qvod Statio appallabatur de jejunio Sabbati, Qvatuor temporum, Adventus Rogationum, præcipuarum Vigiliarum. Ad rem qvod h. l. attinet, Prudentius ed jejunium qvartæ et sextæ Feriæ respicere videtur, nam loqvitur de jejunio qvod freqventer adeo recurrebat, ut hymno, in ejus laudem composito inter hymnos qvotidianos locum dandum esse censuerit. Præterea finiebatur hoc jejunium hora nona ex Hymn. 8 v. 9, qvod competit jejunio qvartæ et sextæ Feriæ ad differentiam jejunii Qvadragesimalis, ac qvarumdam Vigiliarum, qvod communiter ad Vesperam usqve durabat. Accedit tandem, qvod jejunium de qvo sermo est juxta multorum opinionem, lege sanctum non erat, sed in arbitrio fidelium positum, saltem qvoad modum, et hujusmodi jejunium certe innuit Prudentius, Hymn. seqv. v. 65.

v. 1. Lux Bethlem. Sic vetustiores Codd. apud Weitz. et Heins., ex Vatic. unus tantum habet: dux, qvod Editiones nonnullas occupavit. Bethlem, prior syllaba contra legem correpta.

Nil hoc profecto purius mysterio,
Qvo fibra cordis expiatur lividi,
Intemperata qvo domantur viscera,
Arvina putrem ne resudans crapulam
Obstrangulatæ mentis ingenium premat.
Hinc subjugatur luxus et turpis gula,
Vini atqve somni degener socordia,
Libido sordens, inverecundus lepos,
Variæqve pestes langvidorum sensuum
Parcam subactæ disciplinam sentiunt.
Nam si licenter diffluens potu et cibo
Jejuna rite membra non coerceas,
Seqvitur, freqventi marcida oblectamine
Scintilla mentis ut tepescat nobilis,
Animusqve pigris stertat in præcordiis.
Fruentur ergo corporum cupidines,
Detersa et intus emicet prudentia,
Sic excitato perspicax acumine,
Liberqve flatu laxiore spiritus
Rerum parentem rectius precabitur.
Helia tali crevit observantia,
Vetus sacerdos, ruris hospes aridi,
Fragore ab omni qvem remotum et segregem
Sprevisse tradunt criminum freqventiam,
Casto fruentem Syrtium silentio.
Sed mox in auras igneis jugalibus,
Curruqve raptus evolavit præpete,
Ne de propinqvo sordium contagio
Dirus qvietum mundus adflaret virum,
Olim probatis inclitum jejuniis.

v. 30. Syrtium. Desertorum locorum.

Non ante cæli principem septemplicis
Moses tremendi fidus interpres throni
Potuit videre qvam decem recursibus
Qvater volutis sol peragrans sidera
Omni carentem cerneret substantia.
Victus precanti solus in lacrimis fuit,
Nam flendo pernox inrigatum pulverem
Humi madentis ore pressit cernuo
Donec loqventis voce præstrictus dei
Expavit ignem non ferendum visibus.
Joannis hujus artis haud minus potens
Dei perennis præcucurrit filium
Curvos viarum qvi retorsit tramites,
Et flexuosa corrigens dispendia,
Dedit seqvendam calle recto lineam.
Hanc obseqvelam præparabat nuntius,
Mox adfuturo construens iter deo,
Clivosa planis, confragosa ut lenibus
Converterentur, neve qvidqvam devium
Inlapsa terris inveniret veritas.
Non usitatis ortus hic natalibus,
Oblita lactis jam vieto in pectore
Matris tetendit serus infans ubera,
Nec ante partu de senili effusus est,
Qvam prædicaret virginem plenam deo.
Post in patentes ille solitudines,
Amictus hirtis bestiarum pellibus,
Setisve tectus, hispida et lanugine,
Secessit, horrens inqvinari et pollui
Contaminatis oppidorum moribus.

v. 40. Substantia. Cibo, alimento.
v. 44. Præstrictus. Ita Mss. Codd.; excusi: perstrictus.

Illic dicata parcus abstinentia
Potum cibumqve vir severæ industriæ
In usqve serum respuebat vesperum
Rarum locustis et favorum agrestium
Liqvore pastum corpori svetus dare.
Hortator ille primus, et doctor novæ
Fuit salutis, nam sacrato in flumine
Veterum piatas lavit errorum notas;
Sed tincta postqvam membra defoecaverat,
Cælo refulgens influebat spiritus
Hoc ex lavacro labe dempta criminum,
Ibant renati non secus qvam si rudis
Auri recocta vena pulchrum splendeat,
Micet metalli sive lux argentei,
Sudum polito prænitens purgamine.
Referre prisci stemma nunc jejunii
Libet, fideli proditum volumine,
Ut diruendæ civitatis incolis
Fulmen benigni mansvefactum Patris
Pie repressis ignibus pepercerit.
Gens insolenti præpotens jactantia
Pollebat olim, qvam fluentem neqviter
Corrupta vulgo solverat lascivia,
Et inde bruto contumax fastidio
Cultam superni negligebat numinis.

v. 69. Rarum pastum. Ita Heins. ex Cod. Puteano; in aliis: parum, qvod et Aldus expressit, Gisselinus, Weitzius aliiqve: parvum est omnium pene Vatican.

v. 81. Stemma. Στεμμα proprie est corona, hic autem poni videtur pro illustri exemplo.

v. 82. Fideli volumine. Libro Jonæ.

v. 84. Hic versus syllaba caret.

Offensa tandem jugis indulgentiæ
Censura justis excitatur motibus,
Dextram perarmat rompheali incendio,
Nimbos crepantes et fragosos turbines
Vibrans, tonantem nube flammarum qvatit.
Sed poenitendi dum datur diecula,
Si forte vellent improbam libidinem
Veteresqve nugas condomare ac frangere,
Suspendit ictum terror exorabilis,
Paullumqve dicta substitit sententia.
Jonam prophetam mitis ultor excitat,
Poenæ imminentis iret ut prænuntius,
Sed nosset ille qvum minacem judicem
Servare malle, qvam ferire ac plectere,
Tectam latenter vertit in Tharsos fugam.
Celsam paratis pontibus scandit ratem,
Udo revincta fune puppis solvitur,
Itur per altum, fit procellosum mare,
Tum causa tanti qværitur, periculi,
Sors in fugacem missa vatem decidit.
Jussus perire solus e cunctis reus,
Cujus voluta crimen urna expresserat,
Præceps rotatur et profundo immergitur
Exceptus inde belluinis faucibus
Alvi capacis vivus hauritur specu
Transmissa raptim præda cassos dentium
Eludit ictus, incruentam trans volans
Impune lingvam, ne retentam mordicus

v. 96. Diecula. Secundum LXX. hi enim perbreve temporis spatium conversioni Ninivitarum assignant, tres videlicet dies tantum. Hebræus autem et Vulgat: qvadrainta.

Offam molares dissecarent uvidi;
Os omne transit, et palatum præterit.

Ternis dierum ac noctium processibus
Mansit ferino devoratus gutture
Errabat illic per latebras viscerum
Ventris Meandros circuibat tortiles
Anhelus, extis intus æstuantibus.

Intactus exin tertia noctis vice
Monstri vomentis pellitur singultibus,
Qva murmuranti fine fluctus frangitur,
Salsosqve candens spuma tundit pumices,
Ructatus exit, seqve servatum stupet.

In Ninivitas se coactus percito
Gressu reflectit, qvos ut increpaverat,
Pudenda censor imputans opprobria,
Impendet, inqvit, ira summi vindicis,
Urbemqve flamma mox cremabit, credite.

Apicem deinde ardui montis petit,
Visurus inde conglobatum turbidæ
Fumum ruinæ, cladis et diræ struem
Tectus flagellis multimodi germinis,
Nato et repente perfruens umbraculo.

Sed mæsta postqvam civitas vulnus novi
Hausit doloris, heu supremum palpitat,
Cursant per ampla congregatim moenia
Plebs et senatus, omnis ætas civium,
Pallens juventus, ejulantes fæminæ.

Placet frementem publicis jejuniis
Placare Christum, mos edendi spernitur,
Glaucos, amicitus induit monilibus,

v. 154. Vindicis. Duo Vat. Judicis.
v. 139. Flagellis. Surculis arborum.

Matrona demtis, [illegible]oqve gemma et serico
Crinem fluentem sordidus spargit cinis.
  Sqvalent recincta veste pullati patres,
Setasqve plangens turba sumit textiles,
Inpexa villis virgo bestialibus
Nigrante vultum contegit velamine,
Jacens arenis et puer provolvitur.
  Rex ipse Coos æstuantem murices
Lænam revulsa dissipabat fibula,
Gemmas virentes et lapillos sutiles,
Insigne frontis exuebat viuculum,
Turpi capillos impeditus pulvere.
  Nullus bibendi, nemo vescendi memor,
Jejuna mensas pubis omnis liqverat,
Qvin et negato lacte vagientium
Fletu madescunt parvulorum cunulæ,
Succum papillæ parca nutrix derogat.
  Greges et ipsos claudit armentalium
Sollers virorum cura, ne vagum pecus
Contingat ore rorulenta gramina,
Potum strepentis neve fontis hauriat;
Vacuis qverelæ personant præsepibus.

v. 156. Lænam æstuantem murices Coos. Purpuram, qvæ imitatur flagrantem ignem, qvæqve in insula Co Ægæi maris texta et tincta est.

v. 162. Jejuna pubis. Primo casu. Ita Heins. ex Puteano et Torrentianis duobus: qvi etiam alibi monet apud Prudentium hujuscemodi vocabula, qvæ in es qvoqve finiri possunt in is freqventer terminari in Codd vetustioribus. Vaticanorum major pars pubes habeat, uti etiam Weitz. Utroqve modo veteres, teste Prisciano lib. 6. pag. 707 declinabant, ac Prudentius ipse supr. Hymn. 5 v. 69 pubes.

v. 165. Derogat. Sic es Mss., in impressis, denegat.

Mollitus his et talibus brevem deus
Iram refrenat, temperans oraculum
Prosper sinistrum, prona nam clementia
Haud difficulter supplicem mortalium
Solvit reatum, fitqve fautoris flentium.
Sed cur vetustæ gentis exemplum loqvor?
Pridem caducis qvum gravatus artubus
Jesus dicato corde jejunaverit
Prænuncupatus ore qvi prophetico
Emanuel est, sive nobiscum deus.
Qvi corpus istud molle naturaliter,
Captumqve laxo sub voluptatum jugo,
Virtutis arcta lege fecit liberum
Emancipator servientis plasmatis,
Regnantis ante victor et cupidinis.
Inhospitali namqve secretus loco
Qvinis diebus octies labentibus
Nullam ciborum vindicavit gratiam,
Firmans salubri scilicet jejunio
Vas adpetendis imbecillum gaudiis.
Miratus hostis posse limum tabidum
Tantum laboris sustinere ac perpeti,
Explorat arte sciscitator callida
Deusne membris sit receptus terreis,
Sed increpata fraude, post tergum ruit.
Hoc nos seqvamur, qvisqve nunc pro viribus,
Qvod consecrati tu Magister dogmatis
Tuis dedisti, Christe, sectatoribus,
Ut qvum vorandi vicerint libidinem,
Late triumphet imperator spiritus.
Hoc est qvod atri livor hostis invidet,
Mundi poliqve qvod gubernator probat,

Altaris aram qvod facit placabilem,
Qvod dormientis excitat cordis fidem,
Qvod limat ægram pectoris rubiginem.
Perfusa non sic amne flamma extingvitur
Nec sic calente sole tabescunt nives,
Ut turbidarum scabra culparum seges
Vanescit almo trita sub jejunio
Si blanda semper misceatur largitas.
Est qvippe et illud grande virtutis genus,
Operire nudos, indigentes pascere,
Opem benignam ferre supplicantibus:
Unam paremqve sortis humanæ vicem
Inter potentes utqve egenos ducere.
Satis beatus qvisqve dextram porrigit
Laudis rapacem, prodigam pecuniæ,
Cujus sinistra dulce factum nesciat:
Illum perennes protinus complent opes,
Ditatqve fructus foenerantem centuplex.

VIII.

Hymnus post jejunium.

Dei erga nos indulgentiam commendat, qvi contentus levi obseqvio, qvod illi per abstinentiam exhibemus, permittat, ut largiore cibo jejunia solvamus, qvem salubrem animæ corporiqve precatur.

Vers. Sapphic.

Christe, servorum regimen tuorum
Mollibus qvi nos moderans habenis
Leniter frenas, faciliqve septos
Lege coerces.

Ipse q[illegible] portans onus impeditum
Corporis, [illegible] tuleris labores,
Major exemplis, famulos remisso
Dogmate palpas.
Nona submissum rotat hora solem,
Partibus vixdum tribus evolutis,
Qvarta devexo superest in axe
Portio lucis.
Nos brevis voti dape vindicata
Solvimus festum, fruimurqve mensis
Adfatim plenis, qvibus imbuatur
Prona voluptas.
Tantus æterni favor est magistri:
Doctor indulgens ita nos amico
Lactat hortatu, levis obseqvela, ut
Mulceat artus.
Addit et ne qvis velit invenusto
Sordibus cultu, lacerare frontem;
Sed decus vultus capitisqve pexum
Comat honorem.
Terge jejunans, ait, omne corpus
Neve subducto faciem rubore
Luteus tinguat color, aut potetur
Pallor in ore,
Rectius læto tegimus pudore
Qvidqvid ad cultum Patris exhibemus,
Cernit occultum deus et latentem
Munere donat.
Ille ovem morbo residem, gregiqve
Perditam sano, male dissipantem

v. 27. Tinguat pro tingat, more veteri.

Vellus adfixis vepribus per hirtæ
Devia silvæ,
Impiger pastor revocat, lupisqve
Gestat exclusis humeros gravatus:
Inde purgatam revehens aprico
Reddit ovili.
Reddit et pratis, viridiqve campo;
Vibrat inpexis ubi nulla lappis
Spina nec germen sudibus perarmat
Carduus horrens.
Sed freqvens palmis nemus et, reflexa
Vernat herbarum coma; tum perennis
Gurgitem vivis vitreum fluentis
Laurus obumbrat.
Hisce pro donis tibi, fide pastor,
Servitus qvænam poterit rependi?
Nulla compensant pretium salutis
Vota precantium.
Qvamlibet spreto sine more pastu
Sponte confectos tenuemus artus,
Teqve contemtis epulis rogemus
Nocte dieqve.
Vincitur semper minor obseqventum
Cura nec munus Genitoris æqvat:
Frangit et cratem luteam laboris
Grandior usus.
Ergo ne limum fragilem solutæ
Deserant vires et aqosus albis
Humor in venis dominetur, ægrum
Corpus enervans.
Laxus ac liber modus abstinendi
Ponitur cunctis, neqve nos severus

Terror impellit; sua qvemqve cogit
Velle potestas.
Suflicit, qvidqvid facias, vocato
Numinis nutu prius inchoare,
Sive tu mensam renoves cibumve
Sumere temptes.
Adnuit dexter Deus et secundo
Prosperat vultu; velut hoc salubre
Fidimus nobis fore, qvod dicatas
Carpimus escas.
Sit bonum, supplex precor, et medelam
Conferat membris, animamqve pascat
Sparsus in venas cibus obsecrantum
Christicolarum.

IX.

Hymnus omnis Horæ.

Hymnus est in laudem Christi, cujus duplicem tradit nativitatem, æternam et temporalem, miracula qvædam commemorat, ac præcipua vitæ ejus gesta recenset et celebranda proponit.

Vers. Trochaic. octonar:

Da puer plectrum, choreis ut canam fidelibus
Dulce carmen et melodum gesta Christi insignia,
Hunc Camoena nostra solum pangat, hunc laudet lyra.

v. 71. Mensam renoves, cibumve sumere temptes. Sic lego cum Weitz. ac Vaticano uno sane antiqvissimo; idemqve Poetæ mens reqvirere mihi videtur, qvi vult liberum esse cuiqve cibis uti, vel ab iis abstinere; qvem sensum certe non habes in Heinsii lectione, qvæ hujusmodi est: Sive tu mensam renuas, cibumve sumere temptes.

Christus est, qvem rex sacerdos adfuturum protinus
Infulatus concinebat voce, chorda et tympano,
Spiritum cæli influentem per medullas hauriens.
Facta nos et jam probata pangimus miracula,
Testis orbis est, nec ipsa terra, qvod vidit, negat,
Comminus Deum docendis proditum mortalibus.
Corde fusus ex parentis ante mundi exordium
Alpha et ω cognominatus, ipse fons et clausula
Omnium, qvæ sunt, fuerunt, qvæqve post futura sunt.
Ipse jussit, et creata; dixit ipse, et facta sunt,
Terra, cælum, fossa ponti, trina rerum machina,
Qvæqve in his vigent sub alto Solis et Lunæ globo.
Corporis formam caduci, membra morti obnoxia
Induit ne gens periret primoplasti ex germine,
Merserat qvam lex profundo noxialis Tartaro.
O beatus ortus ille, virgo qvum puerpera
Edidit nostram salutem foeta Sancto Spiritu:
Et puer redemptor orbis os sacratum protulit.
Psallat altitudo cæli, psallite omnes angeli,
Qvidqvid est virtutis usqvam psallat in laudem dei,
Nulla lingvarum silescat, vox et omnis consonet.
Ecce qvem vates vetustis concinebant sæculis
Qvem prophetarum fideles paginæ spoponderant,
Emicat promissus olim: cuncta collaudent eum.
Cantharis infusa lympha fit Falernum nobile,
Nuntiat vinum minister esse promtum ex hydria,
Ipse rex sapore tinctis obstupescit poculis.

v. 10. fusus. Ita Heins., at Giselini et Weitzii Codices nec non Vaticani omnes: natus habent.

v. 18. lex noxialis: in noxios lata.

Membra mortis ulcerosa, viscerum putredines
Mando ut abluantur, inqvit, fit ratum, qvod jusserat:
Turgidam cutem repurgant vulnerum piamina.
Tu perennibus tenebris jam sepulta lumina
Inlinis limo salubri, sacri et oris nectare,
Mox apertis hac medela lux reducta est orbibus
Increpas ventum furentem, qvod procellis tristibus
Vertat æqvor fundo ab imo, vexet et vagam [illegible]atem
Ille jussis obsecundat, mitis unda sternitur.
Extimum vestis sacratæ furtim mulier attigit,
Protinus salus secuta est, ora pallor deserit,
Sistitur rivus, cruore, qvi fluebat perpeti.
Exitu dulcis juventæ raptum ephebum videat,
Orba qvem mater supremis funerabat fletibus
Surge dixit, ille surgit, matri et adstans redditur.
Sole jam qvarto carentem, jam sepulchro absconditum
Lazarum jubet vigere reddito spiramine:
Foetidum jecur reductus rursus intrat halitus.
Ambulat per stagna ponti, summa calcat fluctuum,
Mobilis liqvor profundi pendulam præstat viam
Nec fatiscit unda sanctis pressa sub vestigiis.
Svetus antro bustiali sub catenis frendere
Mentis impos efferatis percitus furoribus
Prosilit, ruitqve supplex, Christum adesse ut senseat.
Pulsa pestis lubricorum milleformis dæmonum

v. 40. Metri rationem posthabitam esse observavit jam Heinsius; forsan ita: Extimum vestis sacratæ contig[illegible] clam fæmina.

v. 55. Millcformis. Vat. duo: milliformis.

Corripit gregis suilli sordida spurcamina,
Seqve nigris mergit undis, ut pecus lymphaticum.
Qvinqve panibus peresis, et gemellis piscibus,
Fertqve qvalus ter qvaternus ferculorum fragmina,
Adfatim refecta jam sunt accubantum millia.
Tu cibus, panisqve noster, tu perennis svavitas:
Nescit esurire in ævum, qvi tuam sumit dapem
Nec lacunam ventris implet, sed fovet vitalia.
Clausus aurium meatus, et sonorum nescius
Purgat, ad præcepta Christi crassa qvæqve obstacula
Vocibus capax fruendis, ac susurris pervius.
Omnis ægritudo cedit, langvor omnis pellitur,
Lingva fatur, qvam veterna vinxerant silentia,
Gestat et suum per urbem lætus æger lectulum.
Qvin et ipsum, ne salutis inferi expertes forent,
Tartarum benignus intrat, fracta cedit janua
Vectibus cadit revulsis cardo dissolubilis.
Illa promta ad inruentes, ad revertentes tenax,

v. 57. Ut pecus. Hæc recta videtur esse lectio; Puteanus autem Heinsii, tresqve Vatic. vetustiores: et pecus; Weitz. et Vat. unus: fit pecus.

v. 59. Fertqve qvalus ter. Si planior sensus attendendus sit, hæc ceteris præferenda lectio et versuum dispositio, qvam exhibent duo Vat. Cod., et ex parte veteres Editiones; alii legerunt: Ferte qvalis ter qvaternis ferculorum fragmina etc. qvæ implicita satis lectio est.

v. 70. Ne salutis inferi expertes forent. Animæ justorum in inferis, seu Limbo, ut vocant, detentæ.

v. 72. Cardo dissolubilis. Qvidam Codd. apud Heins. et tres Vatic indissolubilis habent, qvod sensus videtur postulare, sed ratio metri repugnat.

Obice extrorsum repulso porta reddit mortuos,
Lege versa, et limen atrum jam recalcandum patet.
Sed Deus dum luce fulva mortis antra inluminat,
Dum stupentibus tenebris candidum præstat diem,
Tristia sqvalentis æthræ palluerunt sidera.
Sol refugit et lugubri sordidus ferrugine
Igneum reliqvit axem, seqve moerens abdidit:
Fertur horruisse mundus noctis æternæ chaos.
Solve vocem mens sonoram, solve lingvam mobilem
Dic tropæum passionis, dic triumphalem crucem
Pange vexillum, notatis, qvod refulget frontibus.
O novum cædes stupenda, vulneris miraculum!
Hinc cruoris fluxit unda, lympha parte ex altera:
Lympha nempe dat lavacrum, dum corona ex sangvine est.
Vidit angvis immolatum corporis sacri hostiam,
Vidit, et fellis perusti mox venenum perdidit,
Saucius dolore multo colla fractus sibila.
Qvid tibi, profane serpens, profuit rebus novis
Plasma primum perculisse versipelli hortamine?
Diluit culpam recepto forma mortalis Deo.
Ad brevem se mortis usum dux salutis dedidit,
Mortuos vlim sepultos ut redire insvesceret,
Dissolutis pristinorum vinculis peccaminum

v. 74. Obice extrorsum repulso. Ita Heins. Cod. Putean. secutus, at Mss. alii non pauci, inter qvos Vaticani qvinqve: obice extrorsum recluso, qvod placuit Weitzio.

v. 84. Notatis frontibus. Signum crucis in Christianorum fronte impressum. Vid. supr. Hymn. 6 v. 131.

v. 87. Corona. Martyrium.

Tunc patres sanctiqve multi conditorem prævium
Jam revertentem secuti, tertio demum die
Carnis indumenta sumunt, eqve bustis prodeunt.
Cerneres coire membra de favillis aridis,
Frigidum venis resumtis pulverem tepescere,
Ossa, nervos, ac medullas glutino cutis tegi.
Post, ut occasum resolvit, vitæ et hominem reddidit,
Arduum tribunal alti victor adscendit Patris
Inclitam cælo reportans passionis gloriam.
Macte judex mortuorum, macte rex viventium,
Dexter in Parentis arce, qvi cluis virtutibus,
Omnium venturus inde justus ultor criminum
Te senes, et te juventus, parvulorum te chorus,
Turba matrum virginumqve, simplices puellulæ,
Voce concordes pudicis perstrepant concentibus.
Fluminum lapsus et undæ, litorum crepidines,
Imber, æstus, nix, pruina, silva et aura, nox, dies,
Omnibus te concelebrent sæculorum sæculis.

X.

Hymnus circa exseqvias defuncti.

Qvum homo compositum qviddam sit, resolvi aliqvando necesse habet, qvod fit in morte, sed status, ad qvem mors redigit hominem, perpetuus non est, qvod ex cura, qvæ cadaveribus et sepulchris impenditur, recte probatur: idqve opus defunctorum corpora curandi deo gratissimum esse prodit historia Tobiæ. Si autem certissima manet resurrectionis mortuorum spes jam

v. 103. Occasum resolvit. Mortem dissipavit. Sextus pes anapæsticus est.

lacrimis, qvibus eorum dolemus interitum, modus ponendus est, ac mors tanqvam vitæ reparatio consideranda.

Vers. anapæstic trimetr. catalect.

Deus ignee fons animarum,
Duo qvi socians elementa,
Vivum simul ac moribundum,
Hominem, Pater effigiasti.
Tua sunt, tua, rector, utraqve,
Tibi copula jungitur horum,
Tibi dum vegetata cohærent,
Et spiritus et caro servit.
Rescissa sed ista seorsum
Solvunt hominem perimuntqve;
Humus excipit arida corpus,
Animæ rapit aura liqvorem.
Qvia cuncta creata necesse est
Labefacta senescere tandem,
Compactaqve dissociari,
Et dissona texta retexi.

v. 1. Ignee fons animarum. Vel ad Scripturæ loca respexit, in qvibus ignis appellatione Deus sæpe numero venit, vel etiam ad Stoicorum opinionem, qvi animam igneæ naturæ et θερμον Πνευμα esse voluerunt.

v. 8. Et spiritus et caro servit. Ita Heins. qvatuor Vatic. Codd. Weitzii lectionem habent: Spiritus simul et caro vivit.

v. 9. Rescissa sed ista seorsum. In duobus vel tribus seqventibus versuum qvaternionibus Codd. mirum in modum a se invicem dissentiunt, qvorum alii octo, alii qvatuor versus subjiciunt, qvi aliis verbis idem, qvod hic habes, dicunt.

Hanc tu Deus optime mortem
Famulis abolere paratus
Iter inviolabile monstras,
Qva perdita membra resurgant,
Ut dum generosa caducis,
Ceu carcere clausa, ligantur,
Pars illa potentior exstet,
Qvæ germen ab æthere traxit.
Si terrea forte voluntas
Luteum sapit, et grave captat;
Animus qvoqve pondere victus
Seqvitur sua membra deorsum.
At si generis memor ignei
Contagia pigra recuset,
Vehit hospita viscera secum,
Pariterqve reportat ad astra.
Nam qvod reqviescere corpus
Vacuum sine mente videmus,
Spatium breve restat, ut alti
Repetat collegia sensus.
Venient cito sæcula, qvum jam
Socius calor ossa revisat,
Animataqve sangvine vivo
Habitacula pristina gestet.
Qvæ pigra cadavera pridem
Tumulis putrefacta jacebant,
Volucres rapientur in auras,
Animas comitata priores.

v. 29. Generis ignei. Contracto epitheto in duas syllabas. Sic Heins., cui favet unus Vat. ceteri cum Weitzio: ignis.

v. 30. Pigra. Vat. unus nigra.

Hinc maxima cura sepulchris
Impenditur hinc resolutos
Honor ultimus accipit artus,
Et funeris ambitus ornat.

Candore nitentia claro
Prætendere lintea mos est,
Adspersaqve myrrha Sabæo
Corpus medicamine servat.

Qvid nam sibi saxa cavata?
Qvid pulchra volunt monumenta?
Res qvod nisi creditur illis
Non mortua sed data somno.

Hoc provida Christicolarum
Pietas studet, utpote credens
Fore protinus omnia viva,
Qvæ nunc gelidus sopor urguet.

Qvi jacta cadavera passim
Miserans tegit aggere terræ,
Opus exhibet ille benignum
Christo pius omnipotenti.

Qvin lex eadem monet omnes,
Gemitum dare sorte sub una,
Cognataqve funera nobis
Aliena in morte dolere.

Sancti sator ille Tobiæ
Sacer ac venerabilis heros,
Dapibus jam rite paratis
Jus prætulit exseqviarum.

Jam stantibus ille ministris,
Cyatos et fercula liqvit,

v. 60. Urguet pro urget, more veteri, ut supra Hymn. 8, 27.

Studioqve accinctus humandi
Fleto dedit ossa sepulchro.
Veniunt mox præmia cælo,
Pretiumqve rependitur ingens;
Nam lumina nescia solis
Deus inlita felle serenat.
Jam tunc docuit Pater orbis,
Qvam sit rationis egenis
Mordax et amara medela,
Qvum lux animum nova vexat.
Docuit qvoqve non prius ullum
Cælestia cernere regna,
Qvam nocte et vulnere tristi
Toleraverit aspera mundi.
Mors ipsa beatior inde est
Qvod per cruciamina leti
Via panditur ardua justis,
Et ad astra doloribus itur.
Sic corpora mortificata
Redeunt melioribus annis,
Nec post obitum recalescens
Compago fatiscere novit.
Hæc, qvæ modo pallida tabo
Color albidus inficit, ora,
Tunc flore venustior omni
Sangvis cute tinguet amoena.
Jam nulla deinde senectus
Frontis decus invida carpet,
Macies neqve sicca lacertos
Succo tenuabit adeso.
Morbus qvoqve pestifer artus
Qvi nunc populatur anhelos,

Sua tunc tormenta resudans
Luet inter vincula mille:
Hunc eminus aëre ab alto
Victrix caro, jamqve perennis
Cernet sine fine gementem,
Qvos moverat ipse dolores.
Qvid turba, superstes, inepta
Clangens ululamina miscet?
Cur tam bene condita jura
Luctu dolor arguit amens?
Jam moesta qviesce qverela,
Lacrymas suspendite matres:
Nullus sua pignora plangat
Mors hæc reparatio vitæ est.
Sic semina sicca virescunt
Jam mortua, jamqve sepulta:
Qvæ reddita cespite ab imo
Veteres meditantur aristas.
Nunc suscipe terra fovendum
Gremioqve hunc concipe molli:
Hominis tibi membra seqvestra,
Generosa et fragmina credo.
Animæ fuit hæc domus olim
Factoris ab ore creatæ:
Fervens habitavit in istis
Sapientia principe Christo.
Tu depositum tege corpus
Non immemor illa reqviret
Sua munera factor et auctor
Propriiqve ænigmata vultus.
Veniant modo tempora justa,
Qvum spem Deus impleat omnem,

Reddas patefacta necesse est,
Qvalem tibi trado figuram.

Non si cariosa vetustas
Dissolverit ossa favillis
Fueritqve ciniscul us arens
Minimi mensura pugilli.

Nec si vaga flamina, et auræ
Vacuum per inane volantes
Tulerint cum pulvere nervos;
Hominem periisse licebit.

Sed dum resolubile corpus
Revocas, Deus, atqve reformas,
Qvanam regione jubebis
Animam reqviescere puram?

Gremio senis addita sancti
Recubabit, ut illa Lazari,
Qvem floribus undiqve septum
Dives procul adspicit ardens.

Seqvimur tua dicta Redemptor,
Qvibus atra e morte triumphans
Tua per vestigia mandas
Socium crucis ire latronem.

Patet ecce fidelibus ampli
Via lucida jam paradisi,
Licet et nemus illud adire,
Homini qvod ademerat angvis.

Illic, precor, optime ductor,
Famulam tibi præcipe mentem
Genitali in sede sacrari
Qvam liqverat exul et errans.

Nos tecta fovebimus ossa
Violis et fronde freqventi:
Titulumqve et frigida saxa
Liqvido spargemus odore.

XI.

Hymnus octavo Kalendas Januarias

Celebrat diem Christi Domini Natalem, cujus æternam a Patre originem agnoscit, eiqve pastores non solum sed et muta animalia testimonium perhibuisse ait, incredulos redarguit Judæos, eisqve denuntiat venturum eum aliqvando Judicem bonorum, et malorum.

v. 170. Violis et fronde freqventi. Qvamdiu perduravit Idololatria, hunc morem aversatos fuisse Christianos produnt institutæ ab Ethnicis contra eos accusationes, inter qvas et hæc erat, qvod neqve mortuos, neqve sepulchra coronarent. Hi autem utrumqve verum esse fatebantur: neutrum tamen sibi probari posse docebant, qvod aliqvid in iis usibus reperietur, qvod superstitionem contineret. Clem. Alex lib. II. Pædag. c. 8; Tertull lib. De Corona Mil. c. 5 et 10; Cyprian. De lapsis. Itaqve tum demum adhiberi a nostris etiam mos coepit, qvam sublata indololatria, periculum jam nullum erat. Vid. Mamach. Orig. et Antiqvit. Chistianar. Tom. 1 lib. 1 c: 5 § 28 pag. 183.

Conf. passim cum h. hymn. lessus danic. Med Sorgen og Klagen etc.

Octav. Kal. Hunc titulum præferunt Codd. probatiores, in nonnullis autem habetur Hymnus Natalis Domini, qvod prioris illius interpretationem esse nemo non vidit.

Vers. Jambic. Qvaternar.

Qvid est qvod arctum circulum
Sol jam recurrens deserit?
Christus ne terris nascitur,
Qvi lucis auget tramitem?
Heu qvam fugacem gratiam,
Festina volvebat dies?
Qvam pæne subductam facem
Sensim recisa extinxerat?
Cælum nitescat lætius,
Gratetur et gaudens humus:
Scandit gradatim denuo
Jubar priores lineas.
Emerge dulcis pusio,
Qvem mater edit castitas,
Parens et expers conjugis,
Mediator et duplex genus!
Ex ore qvamlibet Patris
Sis ortus et verbo editus,
Tamen paterno in pectore
Sophia callebas prius.

v. 1. Qvid est. Fingit mirari se, qvid sit, qvod dies, qvi antea decrescebant, nascente Christo incipiant crescere, atqve ex hoc ipso celebrandæ Chriti dignitatis sumit occasionem. Arctum circulum. Arctum vocat circulum Capricorni, a qvo sol ineunte hyeme recedit, qvia arctior est omnibus circulis; qvos sol describit, usqve dum perveniat ad æqvatorem.

v. 4. Lucis auget tramitem. Facit dies longiores.

v. 14. Mater castitas. Sic Mss. omnes Weitz. Cellarius aliiqve: matris castitas.

v. 20. Callebas prius. Prius hic est ab æterno, et callebas, callendo eras sapientia, callere enim scire est. Ita Cellarius. Sophia, λογος ενδιαθετος, Proverb. 8vo.

Qvæ promta cælum condidit,
Cælum diemqve et cætera
Virtute Verbi effecta sunt
Hæc cuncta, nam Verbum Deus.
Sed ordinatis sæculis,
Rerumqve digesto statu,
Fundator ipse et artifex
Permansit in Patris sinu.
Donec rotata annalium
Transvolverentur millia,
Atqve ipse peccantem die
Dignatus orbem viseret.
Nam coeca vis mortalium
Venerans inanes nænias,
Vel aera, vel saxa algida,
Vel ligna credebat Deum.
Hæc dum seqvuntur, perfidi
Prædonis in jus venerant,
Et manicipatam fumido
Vitam barathro immerserant.
Stragem sed istam non tulit
Christus cadentum gentium
Impune, ne forsan sui
Patris periret fabrica.
Mortale corpus induit,
Ut excitato corpore

v. 33. Vis mortalium. Multitudo.

v. 40. Barathro. Barathrum fossa profundissima fuit in agro Attico in qvam homines damnati conjiciebantur. Sumitur pro qvocunqve loco profundo et obscuro, in qvo servantur nocentes.

Mortis catenam frangeret,
Hominemqve portaret Patri.
Hic ille natalis dies,
Qvo te creator arduus
Spiravit et limo indidit
Sermone carnem glutinans.
Sentis ne, virgo nobilis,
Matura per fastidia
Pudoris intactum decus
Honore partus crescere?
O qvanta rerum gaudia
Alvus pudica continet!
Ex qva novellum sæculum
Procedit, et lux aurea.
Vagitus ille exordium
Vernantis orbis prodidit;
Nam tunc renatus sordidum
Mundus veternum depulit.
Sparsisse tellurem reor
Rus omne densis floribus,
Ipsasqve arenas Syrtium
Fragrasse nardo et nectare.
Te cuncta nascentem puer
Sensere dura et barbara,
Vectusqve saxorum rigor
Obduxit herbam cotibus.

v. 53. Sentisne. Minime sentis. Fabricius.

v. 61. Vagitus ille. Qvi in reliqvis mortalibus auspicium futuræ calamitatis, in Christo fuit exordium orbis [illegible]nantis ɔ: renascentis.

v. 65. Sparsisse tellurem Partim poetica fictione partim ex Joel. 3, 18 hæc deducta sunt.

Jam mella de scopulis fluunt,
Jam stillat ilex arido
Sudans amomum stipite,
Jam sunt myricis balsama.
O sancta præcepis tui,
Æterne Rex, cunabula,
Populisqve per sæclum sacra
Mutis et ipsis credita!
Adorat hæc brutum pecus;
Indocta turba scilicet,
Adorat excors natio,
Vis cujus in pastu sita est.
Sed qvum fideli spiritu
Concurrat ad præsepia
Pagana gens et qvadrupes,
Sapiatqve, qvod brutum fuit;
Negat patrum prosapia
Perosa præsentem Deum,
Credas venenis ebriam,
Furiisve lymphatam rapi.

v. 80. Mutis et ipsis credita. Conf. Hymnus, in quo: Agnovit bos et Asinus, qvod puer erat dominus: bovem et asinum præsepio, in qvo Christus natus est, adstetisse, vetus opinio est, atqve ut ait ad h. l. Erasmus a priscis usqve sæculis manavit ad nos pictura, qvæ Jesu præsepi addit bovem et asinum. Extat in Museo Vat. antiqvum vitrum anaglyphum eamdem rem exhibens cum epigraph. Cognovit bos etc., qvod ejus olim possessor Franciscus Victorius ligno incidi curavit et illustavit Dissertat. De num. æreo vet. Christianor. p. 37-40.

v. 82-83. Indocta turba — excors natio. Pastores et Magi in asino et bove adumbrati.

v. 87. Pagana gens. Pastores ab angelo moniti, qvi adjacentes Bethléem pagos incolebant, a pago scilicet paganus.

Qvid prona per scelus ruis?
Agnosce, si qvidqvam tibi
Mentis resedit integræ,
Ducem tuorum principum.
Hunc qvem latebra, et obstetrix,
Et virgo foeta, et cunulæ
Et imbecilla infantia,
Regem dederunt gentibus.
Peccator, intueberis
Celsum coruscis nubibus,
Dejectus ipse et inritis
Plangens reatum fletibus:
Qvam vasta signum buccina
Terris cremandis miserit,
Et scissus axis cardinem
Mundi ruentis solverit.
Insignis ipse et præminens
Meritis rependet congrua,
His lucis usum perpetis,
Illis gehennam et Tartarum.
Judæa, tunc fulmen crucis
Experta, qvi sit, senties,
Qvem, te furoris præsule,
Mors hausit, et mox reddidit.

v. 97. Latebra. Ita Heins. Vatic: partim latebra partim latebræ habent. Latebra stabulum obscurum.

v. 101. Peccator intueberis. Judæos speciatim intelligit.

v. 113. Fulmen crucis. Hæc metaphorice dicta accipit Cellarius, alii proprie, qvod dæmonas pellit.

XII.

Hymnus Epiphaniæ.

In hoc hymno, celeberrimo Epiphaniæ festo consecrato pluribus stellam Christi prænuntiam extollit, qvam Magi secuti Bethleem venerunt, et natum Dominum oblatis muneribus venerati sunt; tum immanem ad Christum perdendum infantium stragem ab Herode editam late proseqvitur, in qva Christum involvi non potuisse, in iis, qvæ Möysi contigerant præfiguratum fuisse demonstrat.

Vers. Jambic. Qvaternar.

In Breviar. Roman. in Festo Transfigur. ad Vesper.

Qvicumqve Christum qværitis
Oculos in altum tollite:
Illic licebit visere
Signum perennis gloriæ.

Hæc stella qvæ solis rotam
Vincit decore et lumine,
Venisse terris nuntiat
Cum carne terrestri Deum.

Non illa servit noctibus
Secuta lunam menstruam:
Sed sola cælum possidens
Cursum dierum temperat.

Arctoa qvamvis sidera
In se retortis motibus
Obire nolint, attamen
Plerumqve sub nimbis latent.

Hoc sidus æternum manet,
Hæc stella nunqvam mergitur,

v. 17. Æternum manet. Allegorice Christum ipsum notat.

Nec nubis occursu abdita
Obumbrat obductam facem.

Tristis cometa intercidat
Et, si qvod astrum sirio
Fervet vapore, jam Dei
Sub luce destructum cadat.

En Persici ex orbis sinu,
Sol unde sumit januam,
Cernunt periti interpretes
Regale vexillum, Magi.

Qvod ut refulsit, ceteri
Cessere signorum globi,
Nec pulcher est ausus suam
Conferre formam lucifer.

Qvis iste tantus, inqviunt,
Regnator astris imperans
Qvem sic tremunt cælestia
Cui lux et æthra inserviunt?

Inlustre qviddam cerninus,
Qvod nesciat finem pati.
Sublime, celsum, interminum,
Antiqvius cælo et chao.

Hic ille rex est gentium,
Populiqve rex Judaici,
Promissus Abrahæ patri,
Ejusqve in ævum semini.

v. 22. Sirio vapore. Ardentissimo ac pestilenti.

v. 25. En Persici ex orbis sinu. Hæc qvoqve fuit aliorum patrum sententia, licet opinio eorum, qvi volunt Magos ex Arabia vel Chaldæa venisse, non minori gaudent probabilitate.

Æqvanda, nam stellis sua
Cognovit olim germina,
Primus sator credentium
Nati immolator unici.
Jam flos subit Davidicus
Radice Jessæa editus,
Sceptriqve per virgam virens
Rerum cacumen occupat.
Exin seqvuntur perciti
Fixis in altum vultibus,
Qva stella sulcum traxerat
Claramqve signabat viam.
Sed verticem pueri supra
Signum pependit imminens
Pronaqve submissum face
Caput sacratum prodidit.
Videre qvod postqvam Magi,
Eoa promunt munera
Stratiqve votis offerunt
Thus, myrrham et aurum regium.
Agnosce clara insignia
Virtutis ac regni tui,
Puer o cui trinam Pater
Prædestinavit indolem.
Regem Deumqve adnuntiant.
Thesaurus et fragrans odor
Thuris Sabæi, ac myrrheus
Pulvis sepulchrum prædocet.
Hoc, hoc sepulchrum, qvo, Deus

v. 68. Trinam indolem. Esse Deum, Hominem et regem.
v. 73. Hoc hoc. Ita Heins. Cod. Putean. secutus. Vatic. pene omnes, hoc est sepulchrum, qvo etc.

Dum corpus extinqvi sinit,
Atqve id sepultum suscitat
Mortis refregit carcerem.

O sola magnarum urbium
Major Bethlem, cui contigit
Ducem salutis cælitus
Incorporatum gignere!

Altrice te, summo Patri
Heres creatur unicus,
Homo ex Tonantis Spiritu,
Idemqve sub membris Deus,

Hunc et prophetis testibus,
Isdemqve signatoribus
Testator et sator jubet
Adire regnum et cernere.

Regnum qvod ambit omnia
Dia, et marina, et terrea
A solis ortu ad exitum,
Et tartara et cælum supra.

Audit tyrannus anxius
Adesse regum principem,
Qvi nomen Israel regat,
Teneatqve David regiam.

Exclamat amens nuntio
Successor instat pellimur:
Satelles, i, ferrum rape,
Perfunde cunas sangvine.

v. 86. Isdempve pro Jisdemqve.
v. 87. Cernere ɔ: judicium exercere.
v. 90. Dia. Aëria seu cælestia.
v. 99. Satelles, i, ferrum rape. Sic Heins. cui favet Vat. unus; Ceteri partim: satelles ferrum rape, partim: ferrum satelles arripe.

Mas omnis infans occidat,
Scrutare nutricum sinus,
Interqve materna ubera
Ensem cruentet pusio.
Suspecta per Bethlem mihi
Pnerperarum est omnium
Fraus ne qva furtim subtrahat
Prolem virilis indolis.
Transfigit ergo carnifex
Mucrone districto furens
Effusa nuper corpora.
Animasqve rimatur novas.
Locum minutis artubus
Vix interemtor invenit,
Qvo plaga descendat patens,
Iuguloqve major pugio est.
O barbarum spectaculum!
Inlisa cervix cautibus
Spargit cerebrum lacteum
Oculosqve per vulnus vomit.
Aut in profundum palpitans
Mersatur infans gurgitem:
Cui subter arctis faucibus
Singultat unda, et halitus.
Salvete flores Martyrum,
Qvos lucis ipso in limine
Christi insecutor sustulit,
Ceu turbo nascentes rosas.

v. 111. Effusa nuper corpora. Paullo aute in lucem edita. Mire autem, ait Erasmus, tractat Poeta hunc miserationis affectam.

Vos prima Christi victima
Grex immolatorum tener
Aram ante ipsam simplices
Palma et coronis luditis.

Qvo proficit tantum nefas?
Qvid crimen Herodem juvat?
Unus tot inter funera
Jmpune Christus tollitur.

Inter coëvi sangvinis
Fluenta solus integer:
Ferrum qvod orbabat nurus,
Partus fefellit virginis.

Sic stulta Pharaonis mali
Edicta qvondam fugerat
Christi figuram præferens
Moses receptor civium.

Cautum et statutum jus erat,
Qvo non liceret matribus,
Qvum pondus alvi absolverent,
Puerile pignus tollere.

Mens obstetricis sedulæ
Pie in tyrannum contumax
Ad spem potentis gloriæ
Furata servat parvulum.

v. 131. Aram ante ipsam. Est Synalephe non insolens nostro auctori, ut ex collatione locorum probat Heinsius. Fabricius habet: Aram ante et ipsam, magis vero arridet Torrentii lectio: Aram sub ipsam, non solum qvod vitetur hiatus, sed etiam qvod magis respondeat Apocal. 6, 9, ad qvem locum Poeta respexisse videtur.

v. 133. Qvo proficit. Sic duo Vat. cum Heins. alii duo: qvid proficit.

v. 144. Receptor. Liberator.

Qvem mox sacerdotem sibi
Adsumsit orbis conditor,
Per qvem notatam saxeis
Legem tabellis traderet.
Licetne Christum noscere
Tanti per exemplum viri!
Dux ille cæso Ægyptio
Absolvit Israel jugo
At nos subactos jugiter
Erroris imperio gravi
Dux noster hoste saucio
Mortis tenebris liberat.
Hic expiatam fluctibus
Plebem marino in transitu
Repurgat undis dulcibus,
Lucis columnam præferens.
Hic præliante exercitu,
Pansis in altum brachiis
Sublimis Amalec premit,
Crucis qvod instar tunc fuit.
Hic nempe Jesus verior:
Qvi longa post dispendia
Victor suis tribulibus
Promissa solvit jugera.

v. 165. Undis dulcibus. Vel ad Exod. c. 15, aut etiam 17 noster respicere videtur.

v. 173. Hic nempe Jesus verior. Non dubito qvin Josve designetur, cujus propria sunt gesta qvæ recencentur. Nec mirum, qvod Josve verior servator appelletur, licet enim in ceteris omnibus Mose longe inferior esset, nomine tamen superior, et populum in terram promissam introduxit, qvod Moses præstare non valuit.

Qvi ter qvaternus deniqve
Refluentis amnis alveo
Fundavit et fixit petras,
Apostolorum stemmata.

Jure ergo se Judæ ducem
Vidisse testantur Magi,
Qvum facta priscorum ducum
Christi figuram finxerint.

Hic rex priorum judicum,
Rexere qvi Jacob genus
Dominæqve rex ecclesiæ
Templi et novelli et pristini

Hunc posteri Effrem colunt,
Hunc sancta Manassæ domus,
Omnesqve suspiciunt tribus
Bis sena fratrum semina.

Qvin et propago degener
Ritum secuta inconditum,
Qvæcumqve dirum fervidis
Baal caminis coxerat.

Famosa avorum numina
Saxum, metallum, stipitem,
Rasum, dolatum, sectile,
In Christi honorem deserit

v. 184. Finxerint. Alii pinxerint.

v. 187. Dominæ ecclesiæ. Ecclesia domina dicitur ad differentiam Synagogæ, qvæ ancilla, Galat. 4. 24 seqv.

v. 189. Effrem. Ita Weitz. Codd. et Vat. fere omnes. Alii Ephraim, qvod ratio metri reqvirit.

v. 193 - 94 Propago — inconditum. Gentilium periphrasis.

v. 196. Dirum Baal. Qvodlibet idolum.

v. 199. Rasum, dolatum, sectile. Metallum raditur lima lignum dolatur, saxum secatur.

Gaudete, qvidqvid gentium est,
Judæa, Roma et Græcia,
Ægypte, Thrax, Persa, Schytha,
Rex unus omnes possidet.
Laudate vestrum Principem
Omnes beati ac perditi,
Vivi, imbecilli ac mortui
Jam nemo posthac mortuus.

Cælii Sedulii*).

Hymnus I.

Collectio Veteris et Novi Testamenti per Schema Επαναληψεως alternis versibus repetitæ.

Cantemus socii, Domino cantemus honorem:
Dulcis amor Christi personet ore pio.
Primus ad ima ruit magna de luce superbus,
Sic homo cum tumuit, primus ad ima ruit.
Unius ob meritum cuncti periere minores,
Salvantur cuncti unius ob meritum.
Sola fuit mulier, patuit qva janua leto:
Ex qva vita redit, sola fuit mulier:
Frater iniqvus erat, justum qvi perculit olim:

*) Cæl. Sedul. ed. C. Cellar. Halæ Magdeb. 1739, 8vo. Επαναληψεως. Qva singulis distichis initium prioris versus est finis posterioris.

v. 3. Primus superbus. Diabolus.

v. 6. Cuncti unius. Cum hiatu sine Synalepha; Sic qvoqve infra v. 62; 74, 106 Conf. ad h. l. Rom. 5.

v. 8. Ex qva. Ita Cod. Alm.; Alii: et qva.

Damnator Christi frater iniqvus erat.
Transitus ille monet, qvid prima amisit origo,
Qvid ventura parent, transitus ille monet.
Arca levatur aqvis, homines ne perderet æqvor:
Ne pereant homines, arca levatur aqvis.
Sume pater populos pro nati vulnere cunctos:
Qvum tradis Christum, sume Pater populos.
Hostia summa patris, tacitis signata figuris:
Qvam referat Christus hostia summa patris.
Claudicat ecce videns Dominum, dum prævalet heros
Aspera gens Christum claudicat ecce videns.
Reppulit ille famem, venitus crimine fratrum:
Venditus est Christus, reppulit ille famem.
Perfide corde peris, dum vastant omnia plagæ:
Dum cessant plagæ, perfide corde peris.
Agnus ab hoste sacer revocavit sangvine patres:

v. 10. Damnator Christi. Proditor Judas, qui frater, id est amicus et Socius Domini ac discipulus.

v. 11. Transitus ille. Caini et Abelis in agrum: ex LXX et Vulgata Genes. 4, 8. οἰέλθωμεν εις τὸ πεδιόν, egrediamur foras.

v. 12. Transitus ille. Christi ad Patrem.

v. 14. Arca levatur aqvis. Altera arca est ecclesia baptismo salvata. 1 Petr. 3, v. 20, 21.

v. 15. Sume pater populos etc. Abrahamus est filium mactaturus, cui promissio facta. Gens 22, 16, 17.

v. 17. Hosia patis. Isaac.

v. 18. Christus. Syllaba posterior contra legem producta.

v. 21. Venitus. Ita Codd. Cant. et Alm., id est venditus, a veneo. Vulgati libri: distractus.

v. 23. Perfide corde peris. Pharaonis induratio et Judæorum comparantur.

Sangvine nosqve refert agnus ab hoste sacer.
Obruit unda nefas, populo gradiente per æqvor:
Nunc mundi populis obruit unda nefas.
Murmurat impietas, manna veniente refecta:
Panis adest Christus, murmurat impietas.
Plebs sibi dura caput terræ cultoris adoptat:
Abstulit heu Christum plebs sibi dura caput!
Lex dedit indicium veteris de crimine pœnæ:
Qvodqve salus veniat, lex dedit indicium.
En lapis irriguus: satiare incredule, fonte,
Qvi Christum reprobas: en lapis irriguus!
Carpitur igne sacro munus votumqve piorum:
Seditiosa tribus carpitur igne sacro.
Regna beata patris legis non contigit heres:
Jesus dispensat regna beata patris.
Destruit arca dei muros, dum circuit hostem:
Sic hostem mundi destruit arca dei.
Area vellus habet, madido sed vellere sicca est:
Siccum tota madens area vellus habet.
Vincis honore dei promisso munere gentes:

v. 27. Obruit unda nefas. Submersio Ægyptiorum in pœnam: et Christianorum ad tollendum peccatum.

v. 28. Mundi populis. Ita Fabric.; cod. Alm. cum hiatu: populis mundi obruit; Vulgat. mundis.

v. 31. Caput terræ cultoris. Bovis, vituli aurei. Conf. Exod. cap. 32.

v. 34. Lex dedit indicium. Vaticinia V. T. de Christo.

v. 35. Petra percussa, qvæ aqvam fudit, satiare sive satiaris, passive.

v. 38. Seditiosa tribus. Coran, Dathan, Abiram.

v. 42. Arca dei. Christus.

v. 45. Vincis honore dei. Jephta.

Adfectum natæ vincis amore dei.
Tu decus omne tuis, qvi sternis cæde Goliam:
Qvi vincis mundum, tu decus omne tuis.
Maxima dona dei cuncti cecinere prophetæ:
Implevit Christus maxima dona dei.
Pondera dura tulit mandatum legis et iram:
Gratia mandati pondera dura tulit.
Virgo Maria nitet nullo temerante pudorem:
Post partum pueri virgo Maria nitet.
Filius hic hominis fit maxima qvæstio mundi:
Nobiscum deus est filius hic hominis.
Gaudia magna dei mundus percepit et ambit:
Respuit heu mundus gaudia magna dei.
Signa movent populos, cernunt magnalia cæci:
Nulla tamen duros signa movent populos.
Aspera mors populis ligno deducta cucurrit:
Aufertur ligno aspera mors populis.
Ipse tulit dominus pro pœnis munera servis:
Pro servis pænas ipse tulit dominus.
Vita beata necem miseris avertere venit:
Pertulit a miseris vita beata necem.
Lumen adesse dei persensit tartarus ingens:
Nec cernunt homines lumen adesse dei.
Mors fera per hominem miserum sibi subdidit orbem:

v. 51. Tulit. Prius tulit est attulit; posterius abstulit.

v. 55. Maxima qvæstio. Lapis offensionis.

v. 57. Percepit. Ex Caut. et Alm. Codd; Vulgatum: hæc sentit.

v. 63. Ipse tulit dominus. Glossæ Alm. Codicis prius tulit retulit, et prius servis martyribus suis; posterius tulit, sustinuit interpretantur.

Subdita contremuit mors fera per hominem.
Suscitat ecce genus morti pater ille profanus:
Ad vitam Christus suscitat ecce genus.
Hic populus dominum dura cervice negavit:
Susccpit primum hic populus dominum.
Sangvine læta redit fuso gens impia Christi:
Gustato Christi sangvine læta redit.
Crimina cuncta suis terrenus contulit auctor:
Dissolvit Christus crimina cuncta suis.
Libera corda sibi facinus devinxerat olim:
Nunc reficit Christus libera corda sibi.
Fortia vincla dedit peccati sæva potestas:
Dulcis amor Christi fortia vincla dedit.
Jam super astra sedet, cuncti exsultate fideles:
Perfide, qvid sævis? jam super astra sedet.
Mortuus ille tonat, cælum terramqve subegit:
Qvid facient hostes? mortuus ille tonat.
Pellitur umbra die, Christo veniente, figura;
Christus adit gentes, pellitur umbra die.
Te properare docent et signa et sæcula prima:
Nos sacra, qvæ gerimus, te properare docent.
Unicus adveniens firmavit vota priorum:
Vota dedit nobis unicus adveniens.
Passio, Christe, tui complevit munera legis

v. 71. Suscitat morti. Gignit Adam morituros.

v. 74. Suscepit primum hic. Cum hiatu. Et Mss. Cant. et Alm. primum, puta dominum; vulgati: primus.

v. 87. Christo.; Sic Alm. et Fabric.; Alii: Christi. Figura, typi.

v. 89. Te properare docent. Adventus Christi primus et secundus componuntur.

v. 91. Priorum. Alii: piorum.

v. 93. Tui. Sic Cant. et Alm., Vulgati: tua.

Mumera nostra replet passio, Christe, tui.
Hic homo, qvi deus est, spes est antiqva piorum:
Spes in fine piis hic homo qvi deus est.
Munus erat fidei toto credentibus ævo:
Qvi dedit, ut credant, munus erat fidei.
Te veniente, deus, mundanus concidit error:
Occidet hic mundus, te veniente, deus.
Gratia plena dei est, qvæ totis gentibus exstat:
Abscedant sectæ, gratia plena dei est.
Sola columba redit, qvæ totum circuit orbem:
Discedant corvi, sola columba redit.
Adveniet dominus dare digna piis, mala pravis:
Credite jam miseri, adveniet dominus.
Visio, Christe, tui, tormentum et pæna malorum est:
Glòria cuncta bonis visio, Christe, tui.
Gloria magna Patri, semper tibi gloria, Nate,
Cum sancto Spiritu, gloria magna Patri,

Hymnus II.

alphabeticus, vitam Christi continens.

Vers. Jambic. Qvaternar:

A solis ortus cardine
Adusqve terræ limitem

In Nativitate Domini ad laudes.

v. 98. Qvi dedit, ut credant. Christus et auctor est fidei, et per fidem donatur. Credant, ita Mss; vulgo: credat.

v. 100. Occidet hic mundus. Alm. occidit hic; vulgati reliqui: occubuit mundus.

v. 106. Miseri adveniet. Sine elisione, ut sæpius.

v. 110. Spiritu. Psalm. flatu, qvia prima in spiritu longa; melius forsan: Sancto et Spiritui; at vetus ille lectio, et Beda in libro de Metrica Ratione ad h. l. observat: "poeta, ut gloriam sanctæ et individuæ Trinitatis clara voce decantaret, neglexit regulam grammaticæ dispositionis".

Christum canamus principem,
Natum Maria virgine.

Danic. Vi Christum love hver og een etc,

Beatus auctor sæculi
Servile corpus induit,
Ut carne carnem liberans
Ne perderet, qvos condidit.

Clausæ parentis viscera
Cælestis intrat gratia:
Venter puellæ bajulat
Secreta, qvæ non noverat.

Domus pudici pectoris
Templum repente fit dei:
Intacta, nesciens virum,
Verbo concepit filium.

Enixa jam puerpera est,
Qvem Gabriel prædixerat,
Qvem matris alvo gestiens
Clausus Johannes senserat.

Foeno jacere pertulit
Præsepe non abhorruit:
Parvo lacte pastus est,
Per qvem nec ales esurit.

Gaudet chorus cælestium,
Et angeli canunt deum:
Palamqve fit pastoribus
Pastor creator omnium.

Herodes, hostis impie,
Christum venire qvia times?

Danic. Herodes, hvi frygter du etc.

v. 9. Clausæ. Vulgat. castæ.

v. 26. Canunt deum. Vulgat: deo; sed etiam v. 5 cum qvarto casu: Christum canamus.

Non eripit mortalia,
Qvi regna dat cælestia.
Ibant Magi, qva venerant,
Stellam seqventes præviam,
Lumen reqvirunt lumine.
Deum fatentur munere.
Katerva matrum personat,
Collisa deflens pignora,
Qvorum tyrannus millia
Christo sacravit victimam.
Lavacra puri gurgitis
Cælestis agnus attigit:
Peccata, qvæ non detulit,
Nos abluendo, sustulit.
Miraculis dedit fidem
Habere se deum patrem:
Infirma sanans corpora,
Et suscitans cadavera.
Novum genus potentiæ
Aqvæ rubescunt hydriæ,
Vinumqve jussa fundere
Mutavit unda originem.
Orat salutem servulo
Flexus genu centurio,
Credentis ardor plurimus
Exstinxit ignes febrium.

v. 33. Qva venerant. Ita Alm. qvod est, qva via ex oriente venerant, eam perseqvebantur Hierosolymis Bethlehemum. Editi: qvam viderant, ad stellam referentes.

v. 37. Personat, ejulat, ululat.

v. 48. Et suscitans. Ita Alm.; Alii resuscitans.

Petrus per undas ambulat
Christi levatus dextera:
Natura, qvam negaverat,
Fides paravit semitam.
Qvarto die jam foetidus
Vitam recepit Lazarus,
Mortisqve liber vinculis
Factus superstes est sibi.
Rivos cruoris torridi
Contacta vestis obstruit,
Fletu rigantis supplicis
Arent fluenta sangvinis.
Solutus omni corpore
Jussus repente surgere:
Suis vicissim gressibus
Æger vehebat lectulum.
Tunc ille Judas carnifex,
Ausus magistrum tradere:
Pacem ferebat osculo,
Qvam non habebat pectore.
Verax datur fallacibus,
Pium flagellat impius,
Cruciqve fixus innocens
Conjungitur latronibus.
Xeromyrham post sabbathum
Qvædam vehebant corpori:
Qvibus definit angelus
Vivum sepulchro non tegi.

v. 63. Mortisqve. Sic Cant. et Alm. Mss., Vulgati: cunctisqve.

v. 65. Torridi. Hoc ex Mss. laudatis. In excusis est: horridi.

v. 83. Qvibus definit. Ex Alm. Ms. est. Vulg. qvas allocutus.

Ymnis, venite, dulcibus
Omnes canamus subditum
Christi triumpho tartarum,
Qvi nos redemit venditos.
Zelum draconis invidi,
Et os leonis pessimi.
Calcavit unicus dei.
Se seqve cælis reddidit.

Pontii Merop. Paulini*).

I.

Ad deum-matutina precatio.

Paulo post suam a sæculo conversionem et Hispanicnm secessum hanc precationem composuisse Paulinus putatur, in qva honestos mores a deo enixe postulat, ex qvibus æternam beatamqve sibi spondet vitam.

Omnipotens, genitor rerum, cui summa potestas,
Exaudi, si justa precor, ne sit mihi tristis
Ulla dies, placidam nox rumpat nulla qvietem.
Nec placeant aliena mihi, qvin et mea prosint
Supplicibus, nullusqve habeat mihi vota nocendi,
Aut habeat nocitura mihi. Male velle facultas
Nulla sit, ac bene posse adsit tranqvilla potestas.

v. 85. Ymnis. Non tantum alphabeti causa sablata est aspiratio, sed qvia et alibi veteres ymnus pro hymnus scripserunt.

v. 88. Venditos. Ita Alm., ceteri: venditus.

*) Pont. Mer. Paulini Nol. episc. opp. ed. I. B. le Brun, Parisiis 1675, L. A. Muratorius, Veronæ 1736.

Mens contenta suo, nec turpi dedita lucro,
Vincat corporeas casto bene conscia lecto
Illecebras turpesqve jocos, obscænaqve dicta
Oderit illa nocens, et multum grata malignis
Auribus effuso semper rea lingva veneno,
Non obitu affligar cujusqvam, aut funere crescam:
Invidiam numqvam cuiqvam, nec mentiar unqvam,
Adsit læta domus, epulis alludat inemptis
Verna satur, fidusqve comes, nitidusqve minister,
Morigera et conjux, caraqve ex conjuge nati.
Moribus hæc castis tribuat deus, hi tibi mores
Perpetuam spondent ventura in sæcula vitam.

II.

Ad deum alia precatio.

Varia dei attributa enumerat auctor, et gratiam a deo precatur, qva peccata vitet, ut dei judicio securus occurrat. Circa idem fere tempus ac prior conscripta est hæc precatio, ex qva tamen pietas major, profundior humilitas, et metus judiciorum dei elucent.

Omnipotens, qvem mente colo, Pater unice rerum,
Ignorate malis, et nulli ignote piorum;
Principio, extremoqve carens, antiqvior ævo,

v. 15. Domus. Posterior syllaba contra regulam producta. Epulis alludát. Edit. Vinet. (Burdigalæ 1575) epulisqve adludat.

v. 18. Tribuat. Edd. Vinet et Schot. (Coloniæ 1618) tribuit.

v. 1. Omnipotens, qvem mente colo, Pater unice rerum. Ms. Hieron. Aleandri et Edd. Grav: (Coloniæ 1560) Pöelmann (Antverpiæ 1560) et Schot. in margg. habent:
Omnipotens, solo mentis mihi cognite cultu.

Qvod fuit, aut veniet: cujus formamqe modumqve
Nec mens complecti poterit, nec lingva profari:
Cernere qvem solus, coramqve audire jubentem
Fas habet et patriam propter considère dextram
Ipse opifex rerum, rebus causa ipse creandis,
Ipse dei Verbum, Verbum deus ipse anticipator
Mundi, qvem facturus erat: generatus in illo
Tempore, qvo tempus nondum fuit, editus ante
Qvam jnbar er rutilus cælum illustravit eous:
Qvo sine nil actum, per qvem facta omnia, cujus
In cælo solium, cui subdita terra sedenti,
Et mare, et obscuræ chaos insuperabile noctis,
Irreqvies cuncta ipse movens vegetator inertum,
Non genito ex genitore deus, qvi fraude superbi
Offensus populi gentes in regna vocavit:
Stirpis adoptivæ meliore propage colendus.
Cernere qvem licuit proavis: qvo numine viso
Et patrem vidisse datum, contagia nostra
Qvi tulit, et diri passus ludibria leti,
Esse iter æternæ docuit remeabile vitæ.
Nec solam remeare animam, sed corpore toto
Cælestes intrare plagas, et inane sepulchri
Arcanum vacuis adopertum linqvere terris.
   Nate patris summi, nostroqve salutifer ævo,
Virtutes patrias genitor cui tradidit omnes,

v. 8. Ipse opifex etc. Hic, et 8 seqventes versus desunt in editis codicibus Bad. et Mediolan.; at postqvam Mariangelus Accursius in Diatribis suis in Ausonium, Solinum, et Ovidii Metamorphosim monuit inserendos ex vetustis Hieronymi Aleandri membranis, exstant in Edd. le Brun et Muratorii.

v. 12. Illustravit. Edd Grin. et Poëlm: illustraret.

Nil ex invidia retinens, plenusqve datorum,
Pande viam precibus, patriasqve hæc perfer ad auras.
Da pater invictam contra omnia crimina mentem,
Vipereumqve nefas nocituri averte veneni:
Sit satis antiqvam serpens qvod perdidit Evam,
Deceptumqve adjunxit Adam. Nos sera nepotum
Semina, veridicis ætas prædicta prophetis,
Vitemus laqveos, qvos letifer implicat angvis,
Pande viam, qva me post vincula corporis ægri
In sublime feram: puri qva lactea cæli
Semita ventosæ superat vaga lumina lunæ;
Qva proceres abiere pii, qvaqve integer olim
Raptus qvadrijugo penetrat super æthera curru
Elias, et solido cum corpore prævius Enoch.
Da peter æterni speratam luminis auram,
Si lapides non juro deos, unumqve verendi
Suspiciens altare sacri, libamina vitæ
Intemerata fero: si te dominiqve deiqve
Unigeni cognosco patrem, mixtumqve duobus
Qvi super æqvoreas volitabat spiritus undas,

v. 33. Perdidit. Sic Edit. Rosweid. (Antverpiæ 1622) et 3 Edd. in margg., at 4 Edd: prodidit.

v. 34. Deceptumqve adjunxit Adam. Hanc Paulini locutionem, Adam videlicet fuisse deceptum, communem illi esse cum multis patribus, qvi et ante et post eum vixere, observavit Rosweidius.
Sera. Fabric: dura.

v. 35. Ætas. Edd. tres in margg: olim.

v. 39. Lumina. Fabric: nubila.

v. 41. Æthera. Edd. tres in margg: aëra.

v. 42. Elias. Syllaba ultima contra regulam correpta.

v. 47. Unigeni. Fabric. male: unigenæ.

Da genitor veniam cruciataqve pectora purga,
Si te non pecudum fibris non sangvine fuso
Qværo, nec arcanis numen conjecto sub extis,
Si scelere abstineo, errori ipse obnoxius, et si
Opto magis, qvam fido, bonus purusqve probari,
Confessam dignare animam; si membra caduca
Exsecror, et tacitum si poenitet, altaqve sensus
Formido excruciat, tormentaqve sera Gehennæ
Anticipat, patiturqve suos mens saucia manes.
Da pater hæc nostro fieri rata vota precatu,
Nil metuam, cupiamqve nihil: satis hoc rear esse,
Qvod satis est: nil turpe velim, nec causa pudoris
Sim mihi: nec faciam cuiqvam, qvæ tempore eodem
Nolim facta mihi: nec vero crimine lædar,
Nec maculer dubio: paulum distare videtur
Suspectus, vereqve reus. Male posse facultas
Nulla sit, et bene posse adsit tranqvilla posestas.
Sim tenui victu atqve habitu, sim carus amicis,
Et semper genitor sine vulnere nominis hujus.
Non animo doleam, non corpore, cuncta qvietis
Fungantur membra officiis: nec saucius ullis
Partibus amissum qvidqvam desideret usus.
Pace fruar, securus agam, miracula terræ
Nulla putém: suprema mihi cum venerit hora
Nec timeat mortem bene conscia vita, nec optet.
Purus ab occultis cum te indulgente videbor,
Omnia despiciam, fuerit cum sola voluptas

v. 51. Arcanis. Fabric. carnis.
v. 52. Errori ipse. Edd. Grin. et Poelm. in margg. erroriqve.
v. 64-65. Male. Bene. Edd. Grav. Poëlm et Schott. in margg: mala, bona.
v. 75. Voluptas. Edd. laudat. in margg: voluntas.

Indicium sperare tuum, qvod dum sua differt
Tempora, cunctaturqve dies, procul exige sævum
Insidiatorem blandis erroribus angvem.
Hæc pia, sed mæsto trepidantia vota reatu
Christe apud æternum placabilis assere patrem,
Salvator, deus ac dominus, mens, gloria, verbum,
Filius et vero verum de lumine lumen,
Æterno cum patre manens, in sæcula regnans,
Consona qvem celebrat modulato carmine plebes,
Et responsuris ferit aëra vocibus: amen.

Claudiani Mamerti*).

Hymnus
de Passione Christi
Vers. Trochaic.

In Breviar. Roman. Dominica Passionis, it Dominica in Palmis ad Matulinum.

Pange lingva gloriosi
Prælium certaminis
Et super crucis trophæo
Dic triumphum nobilem,
Qvaliter redemptor orbis

v. 80. Christe Edd. laudat in margg: nate, ut supra v. 27.

v. 82. Et — — — — — — cum Fabric. ex.

v. 84. Consona qvem celebrat etc. Sola Rosweidii editio: celebrant etc. mendose cum versu seqventi habeatur ferit; hic enim plebes antiqve pro plebs, ut jam Fabricius observavit, singulari numero effertur.

*) Conf. Pol. Leyseri Histor. poetar. et poemat. Halæ Magd. 1721 p. 69; Fabric. Poetar. Veter. Eccles. Oper. Christian. Basileæ 1564; Ejusd. Expositio in Pæanas tres Prudenti etc. Lipsiæ 1568.

v. 3. Super. De, antiqvus præpositionis usus.

Immolatus vicerit.
De parentis protoplasti
Fraude factor condolens,
Qvando pomi noxialis
Morte morsu corruit.
Ipse lignum tunc notavit,
Damna ligni ut solveret,
Hoc opus nostræ salutis
Ordo depoposcerat,
Multiformis perditoris
Ars ut artem falleret,
Et medelam ferret inde
Hostis unde læserat.
Qvando venit ergo sacri
Plenitndo temporis
Missus est ab arce patris,
Natus orbis conditor,
Atqve ventre virginali
Carne amictus prodiit.
Vagit infans inter arcta
Conditus præsepia,
Membra pannis involuta
Virgo mater alligat,
Et pedes manusqve, crura

v. 8. Fraude ɔ: propter fraudem, per qvam fuit deceptus.

v. 10. Morte morsu corruit. Ita Fabric.; Brev. Rom. In necem morsu ruit, Leyserus ex Ms. Helmstadiens: Morsu in mortem corruit; in hoc vero ratio metri est posthabita.

v. 15. Perditoris. Ita Leyserus; Fabric. et Brev. Rom. proditoris.

v. 24. Carne amictus prodiit. Sic Brev. Rom.; Fabr. et Leys: carne factus prodiit.

v. 26. Conditus. Leys. positus.

Stricta cingit fascia.
Lustra sex qvi jam peracta
Tempus implens corporis,
Se volente natus ad hoc
Passioni deditus.
Agnus in crucis levatur
Immolandus stipitem,
Hic acetum, fel, arundo,
Sputa, clavi, lancea
Mite corpus perforatur
Sangvis unda profluit,
Terra, pontus, astra, mundus
Qvo lavantur flumine.
Crux fidelis inter omnes
Arbor una nobilis
Nulla talem silva profert,
Fronde, flore, germine;
Dulce ferrum, dulce lignum
Dulce pondus sustinent
Flecte ramos arbor alta
Tensa laxa viscera
Et rigor lentescat ille
Qvem dedit nativitas,
Et superni membra regis

v. 32. Peracta. Brev. Rom. peregit.

v. 36. Stipitem. Ita Leys.; Fabric. et Brev. Rom: stipite.

v. 38. Sputa. Brev. Rom: spina.

v. 40. Sangvis, unda profluit. Ita Fabr. et Leys. Br. Rom: unda manat et cruor.

v. 47. Dulce ferrum, dulce lignum. Fabr. dulce lignum dulce signum; Leys: dulce lignum, dulce clave.

v. 49. Conf. Hymn. de ligno vitæ.

Tende miti stipite.
Sola digna tu fuisti
Ferre mundi victimam,
Atqve portum præparare
Nauta mundo naufrago,
Qvem sacer cruor perunxit
Fusus agni corpore.

v. 55. Et Fabr. et Leys: ut.

v. 54. Tende miti stipite. Fabr: miti tendas stipite.

v. 56. Ferre mundi victimam. Fabr. et Leys: Ferre pretium sæculi.

v. 58. Nauta. Ita Fabr. et Leys.; Brev. Rom: Arca.

Corrigenda.

Pag. 2 Lin. 1 pro adhorlatur lege: adhortatur
— - — - — ευθμει l. ευθυμει
— - — 6 — συνερχηθε l. συνερχησθε
— 4 — 25 — tractanda l. tractandas
— 5 — ult. — monnmenta l. monumenta
— 6 — 18 post Christi adde: naturæ
— 7 — 9 pro nonuuli l. nonnulli
— 14 — 22 — ut l. et
— 15 — 1 — qvam l. qvum
— - — - — epostolarum l. epistolarum
— 16 — 14 — scripisse l. scripsisse
— - — 20 — cam l. cum
— - — ult. — Alcimns l. Alcimus
— 18 — 1 — camen l. carmen
— - — 13 — tertia l. tertio
— 19 — 1 — Pudentium l. Prudentium
— - — 13 — Christo l. Christe
— 20 — 4 — lumlnis l. luminis
— - — 16 — ultime l. ultimo
— 21 — 18 — rythmicæ l. rythmica
— - — 27 post similia adde: exprimunt
— 27 in not. Lin. 4 pro Guatheri l. Gualtheri
— 29 Lin. 1 prò nuptaqve viduaqve l. nuptæqve-viduæqve
— - in not. Lin. 4 pro viri l. viriqve
— 31 — — — 1 — eomparatur l. comparatur
— - — — — 3 a fine pro reeonditam l. reconditam
— 53 Lin. 9 pro augusti l. angusti
— - — 10 — animaqve l. animæqve
— - — 17 — tandem l. laudem
— - in not. Lin. ult. pro este l. esto
— 34 — — — 3 — tiki l. tibi

Pag. 57 Lin. 4 pro tellnere lege tellure
— - — 21 — Apostale l. Apostolo
— 58 in not. lin. 19 pro inprinus l. inprimis
— 42 — — — 16 Clichtoreus l. Clichtoveus
— 43 — — — ult. Ambrosu l Ambrosii
— 44 Lin. 7 pro croator l. creator
— 46 in not. Lin. 1 pro Cisterciensis l. Cistercience
— 50 Lin. 15 pro exaltat l. exsaltat
— 52 — 9 — operam l. operum
— 53 in not. Lin. 4 pro oprepsit l. obrepsit
— 54 — — — 2 — admittet l. admittit
— 55 Lin. 17 pro corucsis l. coruscis
— 56 — 3 — æc l. ac
— - in not. Lin. 5 pro Rapto l. Rupto
— - — — — ult. oblegantur l. obtegantur
— 58 Lin. 20 pro Vigelimus l. Vigilemus
— 60 — 16 — Vulta l. Vultu
— 63 — 15 — labidum l. tabidum
— 68 — 5 — Ince l. luce
— 69 — 12 — improbns l. improbus
— 70 — 17 — candidillo l. candidulo
— 71 — 13 — inculume l. incolume
— - in not. Lin. 14 pro verris l. verbis
— - — — — ult. Havnie l. Havniæ
— 72 Lin. 1 pro horificis l. horrificis
— - in not. Lin. 7 pro σαρκοφανοσ l. σαρκοφαγοσ
— 75 Lin. 17 pro lucum l. locum
— 77 in not. Lin. 14 post qvod adde: incipit
— 78 Lin. 3 pro dei l. olei
— 79 — 4 — consita l. concita
— - in not. Lin. 1 pro Gnoses l. Gnosos
— - — — — 5 — nociles l. nobiles
— 80 Lin. 5 pro pupurei l. purpurei
— - — 19 — confussa l. confusa
— - — 20 — sermet l. semet
— - — 21 — æqvos l. eqvos
— 83 — 14 — suffixia l. suffixa
— 84 — 11 — continuet l. continuat
— 86 — 30 — proculum l. poculum
— 90 in not. Lin. 6 pro veteris l. veteres
— 91 — — — 4 — apellabatur l. appellabatur
— - — — — 6 — ed l. ad

Pag. 62 Lin. 16 pro Fruentur lege: Frenentur
— 94 — 10 — inffuebat l. influebat
— - — 25 — Cultam l. Cultum
— - in not. Lin. 2 pro Gisselinus l. Giselinus
— - — — — 3 — parvum est l. parvum, qvod est
— 96 Lin. ult. pro Glaucos, amicitus l. Glaucos amictus
— 97 in not. Lin. ult. pro es l. ex
— 98 Lin. 5 pro fautris l. fautrix
— 101 — 28 — aqosus l. aqvosus
— 102 — 4 a fin. pro cum l. cum
— 104 — 7 pro fnrentem l. furentem
— 106 — 23 — vlim l. olim
— - in not. Lin. 4 pro Chr istionorum l. Christianorum
— 108 — — — 1 — foris l. fons
— - — — — 2 — apellatione l. appellatione
— 112 Lin. 21 pro memhra seqvestra l. membra seqvestre
— - — 29 — mnnera l. munera
— 114 in not. Lin. 11 pro qvam l. qvum
— - — — — 12 — Chistianar. l. Christianar.
— 116 Lin. 19 pro manicipatam l. mancipatam
— 118 in not. Lin. 9 pro illustavit l. illustravit
— 119 — — — 5 — dæmonus l. dæmones
— 121 Lin. 19 pro cerninus l. cernimus
— - in not. Lin. 4 pro gaudent l. gaudet
— 124 — — — 3 — affectam l. affectum
— 126 — — — 4 — recencentur l. recensentur
— 129 — — — 4 — διελθώμεν l. διελθωμεν
— - — — — u. — Hosia patis l. Hostia patris
— 133 — — — 7 — ille l. illa
— 136 Lin. 14 pro snrgere l. surgere
— 139 — 9 — er l. et
— 140 — 10 — lactlea l. lactea
— 141 — 4 — Sl l. Si
— - — 17 — posestas l. potestas
— 142 — 1 — Indicium l. Judicium
—, in not. Lin. 10 pro Prudenti l. Prudentii.